

FLAMINIO (Marco Antonio)

CARMINA (7583 vers)

## LIBER PRIMUS

## AD FRANCISCUM TURRIANUM PATRICIUM VERONENSEM

C1\_1 v.1 Ecce Flamini tui libellum,  
 2 candidissime Turriane, quem nos  
 3 donamus tibi jure ; quando nemo  
 4 tantum nos amat, aut amavit umquam ;  
 5 neque hoc munere, quod mihi dederunt  
 6 formosae manibus suis Camoenae,  
 7 dum colo Aonios puer recessus,  
 8 potest dignior ullus esse, quam tu ;  
 9 quem Phoebus pater, et novem sorores  
 10 amant non minus ac suos ocellos.  
 11 At vos, numina cara, Turriani  
 12 famam cum lepido meo libello  
 13 servate incolumem perenne in aevum.

## HYMNUS IN PANA

C1\_2 v.1 Jam satis cecini fera  
 2 regum proelia : nunc age,  
 3 mater Pieri, quem deum,  
 4 quem dulci Aeoliae fidis  
 5 plectro rite canemus ?  
 6 An te, lanigeri gregis  
 7 silvarumque virentium  
 8 custos, cui nigra Maenali  
 9 terga, cui gelidi placent  
 10 summa templa Lycaei ?  
 11 Nymphae, semiferam Jovis  
 12 prolem dicite, dicite  
 13 Pana capripedem, leves  
 14 suetum cum Dryadis choros  
 15 silvis ducere in altis.  
 16 En ut grata silentia  
 17 cantu noctivago deus  
 18 rumpit. Cernite, io, venit,

19 en venit capitis feri  
20serta pinea quassans.  
21 Huc concurrite, virgines  
22 intactae, et pueri integri :  
23 at quibus scelera impia  
24 mentem sollicitant, procul  
25 hinc abeste, profani.  
26 Absint et querimoniae,  
27 et mixtus lacrimis dolor :  
28 hic laetis choreis dies  
29 ducenda, hic leve tinnula  
30 carmen voce sonandum.  
31 O Pan Naiadum pater,  
32 qui per devia montium  
33 valliumque reconditarum  
34 agrestes agitas, canum  
35 cinctus agmine, lyncas :  
36 Te divum, atque hominum sator  
37 silvarum dominum dedit  
38 esse, qua roseus dies  
39 surgit, quaque cadens rubris  
40 Ponti mergitur undis.  
41 Tu fontes liquidos gregi, et  
42 laeta pabula sufficis :  
43 Tu custos ovium potens  
44 dictus, mollia candidis  
45 exples vellera lanis.  
46 Quos tu, sancte, pio semel  
47 agnos lumine videris,  
48 illos nec stabulis lupus  
49 infestus rapiet, mala  
50 nec contagia laedent.  
51 Felices nemorum comae,  
52 quae te, cum vaga roscidus  
53 vesper sidera protulit,  
54 dulci carmina fistula  
55 audivere canentem.  
56 Tunc purae melius nitent  
57 noctis conscia sidera :  
58 tunc aerae Zephyri tacent :  
59 tunc laetas croceis humus  
60 spargit floribus herbas.  
61 Non tam dulce sonat cadens  
62 udo in gramine cycnus, aut  
63 veris tempore floridi  
64 ales sub silvae querens  
65 densis Daulias umbris.  
66 Ergo Hamadryades deae,  
67 limpidis ubi procubat  
68 umbra saxea fontibus,  
69 ludunt in numerum, et levi  
70 campos ter pede pulsant.  
71 Tu vero choream regens,  
72 cantus ingeminas : sonant  
73 laetis omnia plausibus,  
74 et cultrix nemorum gemit

75 imis vallibus Echo.  
76 Mox fessa Dryadum agmina  
77 propter gramineam sedent  
78 ripam fluminis, hic ubi  
79 dulcem mollis amaracus  
80 late spirat odorem.  
81 Et dum suave rubentia  
82 carpunt mala, vel aureos  
83 crines frigidulis aquis  
84 immergunt, liquida simul  
85 voce carmina dicunt.  
86 Ut fulgentia sidera  
87 et magnas superum domos  
88 relinquens, ad vaga flumina  
89 paverit niveas oves  
90 Maiaie clara propago,  
91 qua Cyllenia verticem  
92 rupes umbriferum nigris  
93 late fontibus irrigat,  
94 et gratas pecori vago  
95 semper sufficit herbas.  
96 Hic flavae Dryopes sinu  
97 in molli recubans deus  
98 caelo frondiferum nemus  
99 praefert, heu nimium gravi  
100 victus vulnere amoris.  
101 At felix Dryope, novem  
102 post fastidia mensium,  
103 optatum ex utero dedit  
104 pondus. Vix puer hauserat  
105 dias aetheris oras,  
106 fugerunt Dryades, parens  
107 fugit territa, nam inguinum  
108 tenus hircus olens erat  
109 infans, binaque flammea  
110 stabant cornua fronte.  
111 Tunc illum genitor ferens  
112 albis pellibus abditum,  
113 ad magni solium Jovis  
114 venit : nec mora, risit im-  
115 mense rector Olympi :  
116 riserunt superi : at Venus  
117 in sinu puerum tenens,  
118 visus pascit amabili  
119 monstro, grataque turgidae  
120 libat oscula fronti.  
121 Salve, o Naiadum potens,  
122 salve, et hinc lacrimabiles  
123 morbos, et miseram famem in  
124 extremas Arabum domos,  
125 et feros age Turcas.

## HYMNUS IN BONAM VALETUDINEM

C1\_3 v.1 Diva funestis inimica morbis,  
 2 cui vigor mentis, solidumque robur,  
 3 et joci dulces, animique semper  
 4 gaudia cordi :  
 5 te voluptatis canimus parentem,  
 6 candidam blandae Veneris sodalem,  
 7 unicum vitae decus, et malorum  
 8 dulce levamen ;  
 9 quam colunt sancte juvenes, senesque,  
 10 quam sibi cuncti cupiunt, suisque ;  
 11 nam simul coetus hominum caducos  
 12 alma revisis,  
 13 ilicet Morbi fugiunt protervi,  
 14 occidit Febris truculenta, dirus  
 15 occidit Pallor, fera Mors profundo  
 16 exsulat Orco :  
 17 at domus florent pueris, senesque  
 18 induunt fortem virides juventam,  
 19 et Venus terras colit, et Lyaeus,  
 20 et bonus Hymen.  
 21 O quies rerum, o hominum benigna  
 22 Mater, o cunctis veneranda ; namque  
 23 quid potest gratum sine te, quid ulli  
 24 dulce videri ?  
 25 Huc ades nostrum miserans laborem,  
 26 sive te caeli tenet aula, sive  
 27 insulis molles choreas beatis  
 28 laeta frequentas.  
 29 Huc ades tandem, bona diva, et artus  
 30 languidos aura refove salubri,  
 31 ne meam tabes edat immerentis  
 32 atra juventam.

## HYMNUS IN DIANAM

C1\_4 v.1 At te quis tacitam sinat,  
 2 o castissima caelitum,  
 3 cultrix o Erymanthii,  
 4 Cynthiique recessus ?  
 5 Te chori, et citharae juvant,  
 6 te juvat strepitus canum  
 7 audire, et celeres feras  
 8 acri figere cornu.  
 9 At cum Sol abit aureus,  
 10 tu perfusa liquentibus  
 11 undis Oceani, vago  
 12 lustras aethera curru.  
 13 Currum lucida sidera  
 14 sectantur pede candido,  
 15 lascivas meditantia  
 16 pura nocte choreas.  
 17 Tunc silvae memor, aureos  
 18 flores, et violaria,

19 et parvas segetes levi  
 20 nutris humida rore.  
 21 Tu ferum mare temperas,  
 22 tu Noti, et pluviae potens,  
 23 tu partus aperis prece  
 24 ter vocata puellae.  
 25 Salve, dux bona siderum ;  
 26 altorum dea montium,  
 27 salve ; votaue virginum  
 28 audi rite precantum.

HYMNUS IN AURORAM

C1\_5 v.1 Ecce ab extremo veniens Eoo  
 2 roscidas Aurora refert quadrigas,  
 3 et sinu lucem roseo nitentem  
 4 candida portat.  
 5 Ite, pallentes tenebrae, sub Orcum,  
 6 ite, quae tota mihi nocte diros  
 7 Manium vultus, mihi dira semper  
 8 somnia fertis.  
 9 Da lyram vati, puer ; ipse flores  
 10 sparge, dum canto. Bona diva, salve  
 11 quae tuo furvas radiante terras  
 12 lumine lustras.  
 13 En tibi suaves violas, crocumque,  
 14 en odorati calathos amomi :  
 15 surgit, et nostros tibi dulcis aura  
 16 portat odores.  
 17 Deferat laudes utinam precesque,  
 18 quas tibi supplex mea Musa fundit,  
 19 jam pio sanctos bene docta divos  
 20 tollere cantu.  
 21 Quis tuam digne celebrare lucem  
 22 possit, o almae genitrix diei ?  
 23 Quis tuam formam, o dea ante divas  
 24 pulchrior omnes ?  
 25 Ut genas caelo roseas, comamque  
 26 auream profers, tibi fulva cedunt  
 27 astra, decedit rutilante victa  
 28 Luna decore.  
 29 Te sine aeterna jaceant sepulti  
 30 nocte mortales : sine te nec ullus  
 31 sit color rebus, neque vita doctas  
 32 culta per artes.  
 33 Tu gravem pigris oculis soporem  
 34 excutis (leti sopor est imago) ;  
 35 evocans tectis sua quemque laetum ad  
 36 munia mittis.  
 37 Exsilit stratis rapidus viator,  
 38 ad jugum fortes redeunt juvenci,  
 39 laetus in silvas properat citato  
 40 cum grege pastor.  
 41 Ast amans carae thalamum puellae  
 42 deserit flens, et tibi verba dicit

43 aspera, amplexu tenerae cupito a-  
 44 vulsus amicae.  
 45 Ipse amet noctis latebras dolosae,  
 46 me juvet semper bona lux. Nitentem  
 47 da mihi lucem, dea magna, longos  
 48 cernere in annos.

## DE DELIA

C1\_6 v.1 O fons Melioli sacer,  
 2 lympa splendide vitrea,  
 3 in quo virgineum mea  
 4 lavit Delia corpus ;  
 5 tuque lenibus enitens  
 6 arbor florida ramulis,  
 7 qua latus niveum, et caput  
 8 fulsit illa decorum ;  
 9 et vos prata recentia,  
 10 quae vestem nitidam, et sinum  
 11 fovistis tenerum uvida  
 12 laeti graminis herba ;  
 13 vosque aurae liquidi aetheris,  
 14 nostri consciae amoris, ad-  
 15 este, dum queror, atque vos  
 16 suprema alloquor hora.  
 17 Si sic fata volunt fera,  
 18 si sic est placitum deis,  
 19 ut nobis amor impia  
 20 morte lumina condat,  
 21 saltem pro pietate mea  
 22 Hoc concedite, frigidum  
 23 ut corpus liceat mihi  
 24 vestra ponere terra.  
 25 Sic satis moriar libens,  
 26 si spes haec veniat simul ;  
 27 quod nullo melius loco hos  
 28 linquet spiritus artus.  
 29 O si tempus erit modo,  
 30 cum suetum huc aditum ferat,  
 31 quae nos ante diem nigros  
 32 cogit visere manes,  
 33 et locum aspiciens, ubi  
 34 illo purpureo die  
 35 me vidit, miserum suis  
 36 multum quaerat ocellis !  
 37 Sed jam frigida pulverem  
 38 inter saxa videns, statim  
 39 pectore ardeat intimo, et  
 40 me sic fata reposcat,  
 41 ut vitae veniam impetret,  
 42 et cogat superos suum  
 43 in votum, humida candido  
 44 tergens lumina velo.  
 45 Pulchris undique ramulis  
 46 instar imbris in aureum

47 manabant dominae sinum  
 48 flores suave rubentes.  
 49 Talis Idalia Venus  
 50 silva, sub viridi jacet  
 51 Myrto, puniceo hinc et hinc  
 52 nimbo tecta rosarum.  
 53 Hic flos purpureas super  
 54 vestes, hic super aureos  
 55 crines, hic rosei super  
 56 oris labra cadebat :  
 57 ille gramine roscido  
 58 insterni, hic vitrea super  
 59 lympham nare, alius cito in  
 60 gyrum turbine verti.  
 61 Leni murmure candidum  
 62 audisses Zephyrum tibi  
 63 palam dicere, regnat hic  
 64 blandi mater Amoris.  
 65 Tunc mecum ter, et amplius  
 66 dixi, aut venit ab aethere  
 67 haec alto, vel Oreadum  
 68 certe sanguinis una est.  
 69 Sic et blanda protervitas,  
 70 sic et virgineum decus  
 71 oris, verbaque dulcia  
 72 memet abstulerant mihi,  
 73 ut suspiria ab intimo  
 74 fundens pectore, saepius  
 75 dicerem, huc ego qua via,  
 76 quove tempore veni ?  
 77 Nam super nitidum aethera  
 78 evectus volucris pede, et  
 79 magni concilio Jovis  
 80 interesse videbar.  
 81 Illo ex tempore frigerans  
 82 fons, et prata recentia, et  
 83 arbor florida sic mihi  
 84 mentem amore revinxit,  
 85 ut seu nox tenebris diem  
 86 pellit, seu rapidum fugit  
 87 solem, non alia miser  
 88 umquam sede quiescam.

DE SACELLO CORYCIANO

C1\_7 v.1 Di, quibus tam Corycius venusta  
 2 signa, tam dives posuit sacellum,  
 3 ulla si vestros animos piorum  
 4 gratia tangit,  
 5 vos jocos risusque senis faceti  
 6 sospites servate diu, senectam  
 7 vos date et semper viridem, et Falerno  
 8 usque madentem.  
 9 At simul longo satiatus aevo  
 10 liquerit terras, dapibus deorum

11 laetus intersit, potiore mutans  
12 nectare Bacchum.

PAULLI TERTII PONTIFICATUS MAXIMUS

C1\_8 v.1 Jam nox sidera Tethyos  
2 undis caeruleis condere coeperat,  
3 cum laetae volucres diem  
4 venturum vario carmine nuntiant ;  
5 argutae fidicen lyrae  
6 Alcon, auricomo gratus Apollini  
7 Alcon, in viridi sedens  
8 ripa Tybridis haec dulcia fundere  
9 coepit carmina, Lesbium  
10 aurato feriens pectine barbiton.  
11 Jam Sol Oceano diem  
12 ducet purpureis, Roma parens, equis,  
13 quo Farnesius inclyti  
14 heros imperii sceptrum potentia  
15 sumens auspicio deum  
16 felici, Ausoniis attulit urbibus  
17 pacis gaudia candidae ;  
18 et belli furias alpibus, et mari  
19 arcens, tristia dulcibus  
20 mutavit litui murmura canticis.  
21 Ex illo nitidis viret  
22 arvis tuta Ceres, Bacchus et exteris  
23 crescit liber ab hostibus,  
24 nec nostros abigit miles atrox greges,  
25 nec passim pila ferrea  
26 ictu fulmineo moenia concutit.  
27 Nec discordia civium  
28 cognato maculans sanguine dexteram  
29 miscet proelia ; quo nihil  
30 Sol, qui cuncta videt, spectat acerbius.  
31 Paulo denique Tertio  
32 rerum praeside, vis, et furor impius,  
33 et tristes superum minae  
34 excessere procul finibus Italis,  
35 illuxitque beata diu  
36 optato veniens tempore Faustitas :  
37 ut quondam medio in mari  
38 jactatis validi turbinis impetu  
39 nautis Tyndaridae ferunt  
40 fratres auxilium sidere dextero.  
41 Ergo jam novus incipit  
42 rerum ordo, facies jam nova cernitur :  
43 antiquum revocat decus  
44 divum Roma domus, et caput urbium,  
45 et magnis legionibus  
46 Turcam, et Danubii flumina territat.  
47 Fortunata per oppida  
48 Cornu fundit opes Copia divite :  
49 virtuti suus est honos,  
50 et legum timor, et prisca redit fides.



51 Sed jam purpureum bonae  
 52 ostendit Veneris stella oriens diem.  
 53 Salve, lux nitidissima,  
 54 natali proprio carior omnibus,  
 55 quos pulcherrima sustinet  
 56 regnis Hesperiae terra feracibus.  
 57 Te nec Juppiter horridis  
 58 infuscet nebulis, nec malus invida  
 59 contristet pluvia Notus,  
 60 nec lux Oceano pulchrior exeat.  
 61 Fecundi aura Favonii  
 62 pingat caeruleis gramina liliis :  
 63 stillent mella virentibus  
 64 ramis : lacte mero, Tybri pater, fluas.  
 65 Tum laeti choreas loci  
 66 ducant, nec geminis juncta sororibus  
 67 absit Gratia, nec Pudor  
 68 Sanctus, nec Pietas, almaque Veritas.  
 69 At tu, nobilis imperi  
 70 vertex, magnanimum Roma Quiritium  
 71 mater, surge cadentibus  
 72 astris, et superum dona fer omnibus  
 73 templis : incipe debitas  
 74 prima luce deis reddere gratias  
 75 cantu, ac turis honoribus,  
 76 et Paullo Pylis tempora Nestoris  
 77 ora, qui tibi saecula  
 78 Saturni veteris rettulit aurea.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

C1\_9 v.1 Pulchrae Naiades, bonique Fauni,  
 2 dilectum juvenem vocate ad istas  
 3 mecum delicias. Ades, Quiritum  
 4 Alexander ocelle. Sat tulisti  
 5 dura frigora, sat graves calores,  
 6 et casus varios periculorum.  
 7 Te vidit Tagus aurifer citatis  
 8 equis currere, te rapacis unda  
 9 Rheni, te Liger, et Garumna vidit  
 10 iratos properantem adire reges,  
 11 et componere bella, foederumque  
 12 leges dicere : te feras per alpes  
 13 nuper terrificis euntem in armis  
 14 Faunisque stupuere Oreadesque,  
 15 dum cinctus legionibus Latinis  
 16 petis Vindelicas tremendus oras,  
 17 et magnum Carolum tuo labantem  
 18 firmas praesidio, trucesque nostris  
 19 agris Teutonicas minas repellis.  
 20 Sed jam desine, jam satis laborum  
 21 pro cara Italia subisti, omitte  
 22 curas Urbis, et Orbis, aestuosa  
 23 dum Canicula saevit, otiumque  
 24 praefer dulce negotiis, ut alti

25 virtus Scipiadae solebat olim  
 26 factitare, tumultuosa Romae  
 27 linquens moenia ter quaterque in anno.  
 28 Hic quiesce parumper, hic molestis  
 29 te furare laboribus. Licebit  
 30 horas fallere fervidas legendo  
 31 Musae versiculos Horatianae,  
 32 et quae Maeonides sacer, sacerque  
 33 canit Vergilius. Licebit antra,  
 34 et fontes gelidos adire. Risus,  
 35 et joci comites procul fugabunt  
 36 curas, tristitiamque ; nec pudebit  
 37 modo incompositos videre motus  
 38 saltantis Pholoes : modo assidere  
 39 canenti Meliboeo. Aves tenaci  
 40 visco fallere, piscibus juvabit  
 41 dolos tendere vitreis sub undis.  
 42 Nec cervi, leporesve, capreaeve  
 43 absunt ; accipiterque copiosas  
 44 hic praedas agit : omnibus venusta  
 45 rura denique gaudiis redundant.  
 46 Ergo moenia Romuli, et severa  
 47 cuncta desere : sed cavebis illas  
 48 turmas innumerabiles clientum  
 49 tecum ducere. Sit comes Mapheus,  
 50 et Mirandula, Romulusque, docti  
 51 in primis homines bonique. Ad illos  
 52 addantur alii viri elegantes,  
 53 sed pauci tamen. Haud beata gustes  
 54 ruris commoda, ni superfluentes  
 55 pompas Urbis in Urbe derelinquas.

#### AD AGELLUM SUUM

C1\_10 v.1 Formosa silva, vosque lucidi fontes,  
 2 et candidarum templa sancta Nympharum,  
 3 quam me beatum, quamque dis putem acceptum,  
 4 si vivere, et mori in sinu queam vestro !  
 5 Nunc me necessitas acerba longinquas  
 6 adire terras cogit, et peregrinis  
 7 corpusculum laboribus fatigare.  
 8 At tu Diana, montis istius custos,  
 9 si saepe dulci fistula tuas laudes  
 10 cantavi, et aram floribus coronavi,  
 11 da cito, dea, ad tuos redire secessus.  
 12 Sed seu redibo, seu negaverint Parcae,  
 13 dum meminero mei, tui memor vivam,  
 14 formosa silva, vosque lucidi fontes,  
 15 et candidarum templa sancta Nympharum.

#### AD LITAVIUM SPERANTIUM

C1\_11 v.1 Non semper rapido Cynthia belluas  
 2 cursu persequitur, nec miseris solet

3 semper letiferum Delius impiger  
 4 arcum tendere gentibus,  
 5 aut regina suum Calliope melos  
 6 noctes, atque dies continuat, neque  
 7 ipsis perpetuo saevit in ignibus  
 8 infestus Veneris puer.  
 9 Tu numquam studiis otia tristibus  
 10 interponere amas : sed magis in dies  
 11 pallentem sequitur cura scientiam,  
 12 atque alti labor ingeni.  
 13 At contra sapiens quam bene Socrates  
 14 doctus cum pueris ludere ! Sic gravis  
 15 olim Panthoides seria mollibus  
 16 condebat citharae modis.  
 17 Quin et Scipiadae Laelius abdito  
 18 Lucrini varias litore conchulas  
 19 certabat legere, ut grandia publicae  
 20 curae taedia poneret.  
 21 Jam mittas, Litavi, quaerere, quae Dei,  
 22 quae natura animae, cur Jovis optima  
 23 sit lux, curve senex falcifer invido  
 24 terras lumine fascinet.  
 25 Indulge potius, dum licet, otio,  
 26 et solare levi Flaminium lyra  
 27 maerentem ob dominae dissidium Chloes.  
 28 Et Lygdae nova proelia.

## AD SEIPSUM DE ADVENTU HIEMIS

C1\_12 v.1 Jam bruma veniente praeterivit  
 2 aestas mollior, et cadunt ab altis  
 3 frondes arboribus : tepor Favoni  
 4 immanes Boreae furentis iras  
 5 formidans abit : illum agri voluptas  
 6 canorae volucres sequuntur. Ergo  
 7 et nos dulcia rura deseramus,  
 8 dum Ver purpurea coma decorum  
 9 reducat Zephyri tepentis auram.  
 10 Horti deliciae meae valetate,  
 11 fontes luciduli valetate, salve  
 12 mihi villula carior superbis  
 13 regum liminibus. Recedo, sensum  
 14 sed meum hic animumque derelinquo.

## DE LAUDIBUS LAURI

C1\_13 v.1 Laure, conspicuo nitens  
 2 semper tegmine frondium,  
 3 quas nec bruma gelu rigens,  
 4 nec saevi rabies Noti  
 5 laeto privat honore,  
 6 te canam, nemorum decus  
 7 arborumque virentium,  
 8 inter quas ita gloria

9 praestas, ut teneras super  
 10 vites tollitur alnus.  
 11 Iratae fugiens minas  
 12 Junonis, celeri ut pede  
 13 Latona Ortygiam attigit,  
 14 te visa, gemini statim  
 15 solvit pondera foetus.  
 16 Hinc tantis meritis parem  
 17 Phoebus reddere gratiam  
 18 quaerens, horrificum neci  
 19 ut Pythona dedit, tua  
 20 cinxit tempora fronde.  
 21 Dein vocalibus Aonum  
 22 silvis inseruit, te ubi  
 23 lactis fluminibus leves  
 24 Nymphae, et capripedes rigant  
 25 dulci nectare Fauni.  
 26 Nec colles Heliconios  
 27 dextro contigerit pede  
 28 te quisquam sine ; nam prius  
 29 ex Lauro capiunt sua  
 30 sancti praemia vates.  
 31 Quin et limina Caesarum,  
 32 victoremque etiam tuis  
 33 exornas foliis ducem,  
 34 cum Victoria nobili  
 35 plena pulvere venit.  
 36 Cum primum haec dea praepete  
 37 penna fortia Romuli  
 38 intrat moenia, poneris  
 39 Tarpeii in gremio Jovis  
 40 laetae nuntia pacis.  
 41 Quamvis ipse Diespiter  
 42 crebris fulminibus deum  
 43 templa concutiat, tamen  
 44 nullis ipsa tonitribus  
 45 igni tacta corusco es.  
 46 Quis te laudibus efferat  
 47 dignis, Laure ? Nocentium  
 48 tu purgamina sordibus  
 49 praebes, veraque cornea  
 50 mittis somnia porta.  
 51 Te pulcherrima sospitet  
 52 Latona, et cohibens levi  
 53 arcu Cynthia belluas :  
 54 te Phoebus viridem tuus  
 55 omne servet in aevum.

## AD BACCHUM

C1\_14 v.1 Age, Bacche, quis furor me rabidum occupat ? Io io  
 2 rapior, et alta cursu volucris in nemora feror,  
 3 ubi sacra Maenades cum Trieterica celebrant,  
 4 furibunda solent vagantes agitare tripudia.  
 5 Audire videor alto reboantia strepitu

6       ubique aera : jam choris, jam videor nemorivagis  
 7       Celer interesse turmis. Evoe mihi sola sub  
 8       pedibus tremunt, nubes Evoe pulverea diem  
 9       mihi tollit. Adest, adest jam Semeleia propius  
 10       soboles : io venit, tinnula cymbala resonant,  
 11       Phrygiis recurva stridet grave tibia calamis.  
 12       Evoe vagus abit animus, evoe tremula flagris  
 13       mihi terga quatit furor. Parce precor, precor, animum  
 14       stimulis citare tantis : alios rape celeres  
 15       per opaca Thraciae rura, alii capita rotent  
 16       hinc et hinc reflexa, thyrsisque feras hederigeris  
 17       lanient. In otiosis ego sacra latibulis  
 18       faciam, aureisque Bacchi pia numina fidibus  
 19       referam novus sacerdos. Tua, Liber, initia  
 20       cantabo, et ista, donec mihi vita supererit,  
 21       habitabo nemora, semper tuus, Evie, famulus.  
 22       Quod si bene, pater, Euhantum me inserere choris  
 23       animo est, et altae furibundum per juga Rhodopes  
 24       agitare, tuo mihi saltem munere liceat  
 25       rabidi furorem amoris compescere, pater, et  
 26       da servitio gravi dominae vivere vacuum.

## AD AGELLUM SUUM

C1\_15   v.1       Umbrae frigidulae, arborum susurri,  
           2       antra roscida, discolore picta  
           3       tellus gramine, fontium loquaces  
           4       lymphae, garrulae aves, amica Muis  
           5       otia, o mihi si volare vestrum  
           6       in sinum superi annuant benigni,  
           7       si dulci liceat frui recessu,  
           8       et nunc ludere versibus jocosis,  
           9       nunc somnum virides sequi per umbras,  
 10       nunc mulgere mea manu capellam,  
 11       lacteoque liquore membra sicca  
 12       irrigare per aestum, et aestuosis  
 13       curis dicere plurimam salutem ;  
 14       o quae tunc mihi vita, quam beata,  
 15       quam vitae similis foret deorum !  
 16       At vos, o Heliconiae puellae,  
 17       queis fontes et amoena rura cordi,  
 18       si cara mihi luce cariores  
 19       estis, jam miserescite obsecrantis,  
 20       meque Urbis strepitu tumultuosae  
 21       ereptum in placido locate agello.

## AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

C1\_16   v.1       Jam diem gyro brevior claudens  
           2       Phoebus insani rabiem Leonis  
           3       sedat, Autumnumque refert decorum  
           4                 mollior aestas.  
           5       Ille maturis redimitus uvis  
           6       laetus incedit per amoena rura :

7 ejus aspectu exhilarata ducunt  
 8 poma colorem.  
 9 At puer flavae Semeles sodalem  
 10 candidum gaudens rediisse, prodit  
 11 obviam longe : socias choreas  
 12 jungit uterque.  
 13 Saltat hos circum thiasus, jocosi  
 14 Panes, et passo Dryades capillo,  
 15 fistulis mixtum resonat suavis  
 16 tibia carmen.  
 17 Ipsa pomosos Cytherea in agros  
 18 migrat, et pulcher Jocus, et Voluptas :  
 19 tu tamen durus potes in molesta  
 20 urbe morari,  
 21 semper et magnum celeri per orbem  
 22 mente, Farnesi, volitas, quid acer  
 23 Turca, quid Rhenus paret, ac remota in  
 24 parte Britannus,  
 25 providens longe. Sed omitte curam  
 26 imperi paucis vacuus diebus :  
 27 te magis tantos vegetum ad labores  
 28 rura remittent.

## AD AGELLUM SUUM

Cl\_17 v.1 Venuste agelle, tuque pulchra villula,  
 2 mei parentis optimi  
 3 olim voluptas, et quies gratissima  
 4 fuistis : at simul senex  
 5 terras reliquit, et beatas caelitum  
 6 petivit oras, incola  
 7 vos alter occupavit, atque ferreus  
 8 amabili vestro sinu  
 9 me lacrimantem ejecit, et caris procul  
 10 abire jussit finibus.  
 11 At nunc, amica rura, vos reddit mihi  
 12 Farnesii benignitas.  
 13 Jam vos revisam, jam juvabit, arbores  
 14 manu paterna consitas  
 15 videre, jam libebit in cubiculo  
 16 molles inire somnulos,  
 17 ubi senex solebat artus languidos  
 18 molli fovere lectulo.  
 19 Gaudete, fontes, rivulique limpidi ;  
 20 heri vetusti filius  
 21 jam jam propinquat, vosque dulci fistula  
 22 mulcebit, illa fistula,  
 23 quam vestro Iolae donat Alcon Maximus,  
 24 ut inclyti Farnesii  
 25 laudes canentem Naidum pulcher chorus  
 26 miretur, et Pan capripes.

## AD MUSAM DE PHILIPPO OBERMAIRO

C1\_18 v.1 Collis Aonii puella cultrix,  
 2 una ex virginibus novem tenellis,  
 3 quam nec bella cruenta, nec labores  
 4 solis dicere, sed puellularum  
 5 amores, querimonias, jocosque  
 6 lascivis elegis juvat referre ;  
 7 hanc myrtum tibi dedicat Philippus,  
 8 natus Vindelicis Philippus oris,  
 9 sed tam cultus, et elegans poeta,  
 10 tam dulcis lepidusque, ut Italorum  
 11 nemo sit propior tuo Tibullo.  
 12 Hanc ille irrigua fovebit unda,  
 13 hanc perfundet odoribus, tuasque  
 14 laudes assidue sub hujus umbra,  
 15 molli carmine concinet. Puella  
 16 pulchra, tu juveni fave, tuaeque  
 17 fac sit deliciae, tuique amores.

## AD VETURIAM MATREM, ET IULIUM ET FAUSTUM FRATRES MORTUOS

C1\_19 v.1 Mater candida, candidique fratres,  
 2 qui me funere rapti acerbo, in atris  
 3 lugentem tenebris videtis, et cum  
 4 sol terras hilarat nitente luce,  
 5 et cum nox placidum refert soporem,  
 6 jam mei miserescite, et deorum  
 7 supplicate parenti, ut exuens me  
 8 vinclis corporeis, volare vestros  
 9 ad manes sinat ; est enim relictum  
 10 nihil dulce mihi, nihil quod aegrum,  
 11 et maerentem animum levare possit,  
 12 praeterquam lacrimae, et querelae, ab imo  
 13 et suspiria corde tracta. Quod ni  
 14 timeret mea mens, adire dum vos  
 15 urget, ne, procul a piis repulsa,  
 16 vobis perpetuo careret, ipsum  
 17 ferrum jam mihi corpus exuisset.

## AD IOANNEM ANTONIUM FLAMINIUM PATREM MORIENTEM

C1\_20 v.1 Vixisti, genitor, bene, ac beate,  
 2 nec pauper, neque dives, eruditus  
 3 satis, et satis eloquens, valente  
 4 semper corpore, mente sana, amicis  
 5 jucundus, pietate singulari.  
 6 Nunc lustris bene sexdecim peractis  
 7 ad divum proficisceris beatas  
 8 oras. I, genitor, tuumque natum  
 9 Olympi cito siste tecum in arce.

## AD ANTONIUM MIRANDULAM

C1\_21 v.1 Antoni venerande, anima mihi carior ipsa,  
 2 Romamne semper incoles ?  
 3 Te nec avaritiae morbus, nec fervida honorum  
 4 in Urbe detinet sitis.  
 5 Vis igitur properemus, ubi Dovadula Musis  
 6 amica praebet otia ?  
 7 Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros,  
 8 quo nil amoenius, neque  
 9 fertilius Baccho, et Cereri gratissima tellus  
 10 togata cernit Gallia.  
 11 Has age delicias, et dulcia rura petamus,  
 12 quo pulcher Autumnus vocat,  
 13 et Bacchus pater, et virides Pomona per herbas  
 14 cum Gratiis ducens choros.  
 15 Jam videor tecum patula projectus in umbra  
 16 ad lucidi fontis caput,  
 17 discere, nubigenam quae mille coloribus Irim  
 18 vis pingat imbris nuntiam ;  
 19 cur cadat aestivo glacialis sidere grando ;  
 20 quis tantus excitet furor  
 21 ventos, horrisonas curvato gurgite ut undas  
 22 ad alta mittant sidera ;  
 23 altera cur auro tellus fluat, altera ferro,  
 24 at illa gemmis splendeat.  
 25 Felix, qui rerum causas, Mirandula, nosti,  
 26 et eleganter explicas.  
 27 Tu docti pridem male culta vireta Lycaeii  
 28 post longa primus saecula  
 29 efficis, ut prisco revirescant more, quod omnis  
 30 miretur aetas postera,  
 31 teque parem dicat magnis heroibus illis  
 32 quos ipsa Pallas artibus  
 33 erudiens claris dat adhuc splendere per orbem,  
 34 ut pulchra caeli lumina.

## AD APOLLINEM

C1\_22 v.1 Cynthii cultor nemoris, beatas  
 2 voce qui Nymphas, citharaque mulces,  
 3 Phoebe, supremi Jovis, et deorum  
 4 blanda voluptas,  
 5 si tibi semper mea mens ab annis  
 6 serviit primis, neque dulce cordi  
 7 est meo quidquam sine te, precanti  
 8 annue dexter.  
 9 Ut mihi optatum dat habere agellum  
 10 clara Farnesi pietas, gravique  
 11 liberans cura, jubet otiosam  
 12 ducere vitam,  
 13 sic tuo vati liceat, perenni  
 14 nomen illius celebrare cantu ;  
 15 et viri in nostris vireat libellis  
 16 gloria semper,



17 myrtus ut luco viret in latenti,  
 18 fonte quam nutrit liquido decora  
 19 Nais, et saevas hiemes, et aestus  
 20 arcet iniquos.

NENIA IN MORTEM FRANCISCAE SFORTIAE SORORIS GUIDI ASCANII CARDINALIS

C1\_23 v.1 Puella delicatior  
 2 Molli columba, pulchrior  
 3 rosae rubentis flosculo  
 4 cur immerentem candidis  
 5 te saeva Parca fratribus,  
 6 et conjugii dulcissimo  
 7 prima juvena sustulit ?  
 8 Sic florem, hiantem mollibus  
 9 telluris almae amplexibus  
 10 vellens procella turbinis  
 11 leves in auras dissipat.  
 12 Francisca, acerbo funere  
 13 Caeli relinquens lumina,  
 14 tuae domus, et patriae  
 15 cuncta abstulisti gaudia  
 16 te mollis unda Tybridis  
 17 flens crevit, ipsae crinibus  
 18 passis puellae Naides  
 19 flevere : septem collium  
 20 questus ad alta sidera  
 21 ivere : lucidum caput  
 22 sol lugubri ferrugine  
 23 velavit, atra civitas  
 24 cum te sepulcro poneret.  
 25 Pudor, Venustas, Gratiae  
 26 sunt hoc sepulcro conditae.  
 27 Crudelis, implacabilis,  
 28 iniqua Mors, cornicibus  
 29 tam longa parcis saecula,  
 30 et huic puellae tam cito  
 31 manus rapaces injicis,  
 32 quae debuit Amphrysiae  
 33 vicisse vatis tempora.  
 34 Nec te rogantis dulcia  
 35 flexere verba, ferream  
 36 quae vim valebant frangere :  
 37 nec oris illa dignitas,  
 38 cui Pallas ipsa cesserat,  
 39 tui furoris impetum  
 40 tardare quivit, impia.  
 41 Nil fratris Ascani favor,  
 42 quem magna Roma suspicit,  
 43 carae sorori profuit :  
 44 nil vota Paulli Tertii,  
 45 quo terra nil majus videt,  
 46 juvere neptem candidam.  
 47 At saevias licet, fera  
 48 Mors, vivet ipsa funeri

49 suo superstes, omnium  
 50 volans per ora gentium  
 51 Francisca, magnae gloria, et  
 52 dolor perennis patriae.

EPITAPHIUM FRANCISCAE SFORTIAE

C1\_24 v.1 Franciscae tumulo teguntur isto  
 2 ossa Sfortiadis, viator. Illa  
 3 et forma memorabili puella,  
 4 et sancti specimen fuit pudoris ;  
 5 digna vivere ad ultimam senectam.  
 6 Sed mors, optima quaeque prima tollit.  
 7 Ipsam Romula gens, avusque Paullus  
 8 tertius lacrimis piis honorant :  
 9 at deum genitor, deique gaudent  
 10 esse concilio suo receptam.

EPITAPHIUM IOANNIS MATTHAEI GIBERTI PONTIFICIS VERONENSIS

C1\_25 v.1 Giberti veneratur hic sepulcrum,  
 2 quem Ligur genuit Panormi in urbe,  
 3 Roma nutriit, et diu regendi  
 4 orbis participem beata vidit ;  
 5 dein Verona recepit, et magistrum  
 6 sinceræ pietatis, et parentem  
 7 mirata est. Nihil ille quod beatam  
 8 posset reddere civitatem, omisit :  
 9 nunc caelo fruitur beatus ipse.

AD SUAVISSIMUM SODALEM SUUM

C1\_26 v.1 Senex palustribus loquacior ranis,  
 2 turbaque semper garrula cicadarum,  
 3 Tu nunc relictis villulis Capenatum,  
 4 sinu Bononiae educaris in dulci,  
 5 qua civitate delicatior nulla est ;  
 6 vitamque laetam vivis atque felicem  
 7 fruens Morono, strenuoque Cervino,  
 8 quos publicarum cura nobilis rerum,  
 9 ardensque ad alta sidera evehit virtus.  
 10 At cum reversus ad tuos agros, tristi  
 11 silentio miser, otioque marcesces,  
 12 o quam vicem tuam dolebis ! Et caeli  
 13 lucem nitentem quam videbis invitus,  
 14 cum vita morte jam videbitur pejor !  
 15 Senex dicacule, et facete nugator,  
 16 festivitatis magne amator urbanae,  
 17 dic, caprimulgos inter atque fossores,  
 18 et senticosa rura gentis insulsae  
 19 quid dulce poterit esse, quidve jucundum ?  
 20 Cum quo jocando tunc dabitur ineptire ?  
 21 Quis elegantes ventitabit ad cenas ?

22 Cui post Falerna vina de malo, et sacro  
 23 libro venena versuum propinabis ?  
 24 Megaera, non Camoena, quos tibi dictat,  
 25 ut iis acerba pestilentior peste  
 26 tuos sodales eneces ; quibus centum  
 27 abesse millia passuum, nihil prodest ;  
 28 nam charta taetro infecta carminum tabo,  
 29 quam saepe doni maximi loco mittis,  
 30 modis legentum corda polluit miris,  
 31 ut liberare languidos suis succis  
 32 nec ipse Phoebus, ipsa nec Salus possit.  
 33 At tu poeta letifer, tuos, quaeso,  
 34 amiculos ne perde peste tam dira,  
 35 sed pessimis jam pone versibus finem ;  
 36 saevire vel si pergis, hostibus saevi.

DE VERSIBUS PHILIPPI OBERMAIRI

C1\_27 v.1 Dulces versiculi, meo Philippo  
 2 quos dulcissima Musa molli in umbra  
 3 dictat Castaliae, suo lepore  
 4 sic sensum afficiunt meum, meumque  
 5 sic cor exhilarant, ut iis legendis  
 6 curae sollicitae, anxii timores,  
 7 et suspiria, lacrimaeque amarae  
 8 confestim fugiant ; velut, suaves  
 9 cum spirant Zephyri tepente vere,  
 10 caelo nubila, candidae pruinae  
 11 terris diffugiunt ; novique flores  
 12 pingunt gramina gemmeo colore.  
 13 Dulces versiculi, tenelli, Amorem  
 14 spirantes, Veneremque, Gratiasque,  
 15 semper vivite, semper irrigate  
 16 vestro nectareo liquore sensus,  
 17 et mentes hominum venustiorum.

AD PHILIPPUM BEROALDUM IUNIOREM

C1\_28 v.1 Scribes Bentivoli fortia Principis  
 2 tu facta, et Ligurem sanguine Julium  
 3 gaudentem Latio, infestaque Galliae  
 4 nostris agmina finibus.  
 5 Nec parco referes carmine, quam fera  
 6 atrox in Selinum bella gerat Sophis,  
 7 tum Turcas odio persequitur gravi  
 8 regnis pellere patriis.  
 9 Nos diva Idalium quae nemus incolit,  
 10 et miscere simul dulcia tristibus  
 11 gaudet, Maeonia non patitur tuba  
 12 Regum dicere proelia,  
 13 nec Thebas veteres, primave Romuli  
 14 sceptrum, ausamve deum tecta refringere  
 15 telluris sobolem, aut excidio datum  
 16 Graiis Ilion ignibus.

17 Nos heu Hierophiles cogit amor male  
 18 cervicem laqueo subdere dispari,  
 19 quem nec Thessalico murmure saga, nec  
 20 durae gramen Iberiae,  
 21 nec Circaeia queat solvere naenia.  
 22 Tu non visa canes proelia : nos gravem  
 23 experti dominae saevitiam, levi  
 24 curas eluimus fide.

## AD GRATIAS

C1\_29 v.1 Gratiae, pulchrae Veneris sodales,  
 2 queis sine gratum nihil aut venustum est ;  
 3 non Amor, non ipsa Venus, jocive,  
 4 blanditiaeve ;  
 5 tris fero vobis violae coronas  
 6 flore fulgentes, ego terna vobis  
 7 candidi lactis, totidemque libo  
 8 cymbia mellis :  
 9 vos meis dulcem numeris leporem  
 10 addite, ut semper bene docti ad aures  
 11 grata Farnesi veniant Iolae  
 12 carmina vestri.

## DE LAUDIBUS MANTUAE

C1\_30 v.1 Felix Mantua, civitatum ocelle,  
 2 quam Mars Palladi certat usque et usque  
 3 claram reddere gentibus, probisque  
 4 ornare ingeniis virorum, et armis !  
 5 Te frugum facilis, potensque rerum  
 6 tellus, te celebrem facit virente  
 7 qui ripa, calamisque flexuosus  
 8 leni flumine Mincius susurrat,  
 9 et qui te lacus intrat, advenisque  
 10 dites mercibus invehit carinas.  
 11 Quid palatia culta, quid deorum  
 12 templa, quid memorem vias, et urbis  
 13 moles nubibus arduis propinquas ?  
 14 Pax segura loco, quiesque nullis  
 15 turbata exsiliis, frequensque rerum  
 16 semper copia, et artium bonarum.  
 17 Felix Mantua, centiesque felix,  
 18 tantis Mantua dotibus beata,  
 19 sed felix magis, et magis beata,  
 20 quod his temporibus, rudique saeclo  
 21 magnum Castaliona protulisti !

## AD CAESAREM FLAMINIUM

C1\_31 v.1 Caesar aeterno mihi juncte amoris  
 2 vinculo, immites aditure mecum  
 3 non modo Hyrcanos, Erebi sed atra

4 regna profundi ;  
 5 ne mihi pulchros Ligurum recessus,  
 6 neve Campani memores venusta  
 7 rura Sebethi, aut placidas amoeni  
 8 Tiburis arces.  
 9 Ipse nil docti patriae Catulli  
 10 comparo ; hic vivam, et moriar beatus :  
 11 hac mihi toto nihil est in orbe  
 12 gratius urbe.  
 13 Tu ferax vatium generosa tellus,  
 14 hospitem nutrix et amica, vatium  
 15 hospitem sese tibi dedicantem  
 16 candida nutri.  
 17 Vos lares dulcis patriae valetate ;  
 18 non enim possum miseram videre  
 19 civium pugnas, gladiosque fratrum  
 20 sanguine tinctos.  
 21 Vos tamen semper mea mens amabit,  
 22 me licet Parcae rapiant ad orbem  
 23 zona quem Solis dirimit corusco  
 24 torrida ab igni.

## DE FONTE BAGNAIAE

C1\_32 v.1 Hunc fontem amoenum, qui vireta limpida  
 2 et ornat, et fecundat ista rivulis,  
 3 magni Rodulphi magna liberalitas  
 4 caesis medullis montium canalia  
 5 per longa duxit ; hoc tibi, terra optima,  
 6 dans munus omni praeferendum muneri.  
 7 Nam quod vetusto polliceris nomine,  
 8 praestare nunc primum incipis uberrima  
 9 lympha ; vocari scilicet Bagnaia,  
 10 vocabulo jam patrio dignissima.

## AD VILLAM MARIANAM DE VICTORIA COLUMNNA

C1\_33 v.1 Salve magna domus, meae Columnnae  
 2 natalis, domus o beata salve,  
 3 hicne vagiit illa Musa, doctis  
 4 quam Phoebus decimam addidit Camoenis ?  
 5 Caeli lumina vidit hicne primum  
 6 caelo femina digna ? Digna celsis  
 7 nasci, et vivere in aedibus deorum :  
 8 supra sidera sidus ipsa clarum ?  
 9 O felix domus ! hic Minerva pulchras  
 10 artes edocuit meam Columnnam :  
 11 hic illi citharam dedit canorus  
 12 Apollo : Superaque, dixit, omnes,  
 13 o Victoria, feminas canendo,  
 14 quotquot magna tulit, feretque tellus ;  
 15 at te ne superent novem Sorores,  
 16 Jovis progenies novem Sorores,  
 17 fortunata domus, domus beata !

18 Audisti toties meae Columnae  
 19 illa carmina, quae movere mentes,  
 20 quae vim sistere fluminum solebant.  
 21 Tibi Cynthia silva saepe, saepe  
 22 invidit tibi Cirrha, et antra Pindi,  
 23 et fontes Heliconii recessus.  
 24 Jactat Creta Jovem, suam Dianam  
 25 Delos inclyta : tu tua Columna  
 26 gloriare domus beata. Pace  
 27 et Jovis liceat loqui et Dianae,  
 28 non Delo minor es, minorve Creta.

## AD DIANAM

C1\_34 v.1 Casta Latonae soboles Jovisque,  
 2 quae pharetratis comitata Nymphis,  
 3 Cynthium collem peragras, nigrique  
 4 silvam Erymanthi,  
 5 Bocchius, linguae decus utriusque,  
 6 doctus errantes agitare cervos,  
 7 hanc tibi villa media locatam  
 8 dedicat ulmum ;  
 9 unde veloci domitae sagitta  
 10 pendeant lynces, timidique damae,  
 11 atque vivacis tibi consecrata  
 12 cornua cervi.

## CAPELLA AD REGINALDUM POLUM

C1\_35 v.1 Cur me, Pole, tua venire ad urbem  
 2 lectica prohibes ? Tuae quid, oro,  
 3 summae participem benignitatis  
 4 esse non pateris ? Canes bonorum  
 5 heroum comites fuere semper ;  
 6 et caelum Canis incolit supremum  
 7 inter sidera ; nec polus, beata  
 8 sedes caelicolum, suam Catellam  
 9 dedignatur habere secum : at ipsa  
 10 sum despecta tibi, nec unum apud te  
 11 angulum valeo impetrare. Verum,  
 12 si nostram vacet aestimare formam,  
 13 non indigna tuo favore credar.  
 14 Est pilus mihi lucidus, venustae  
 15 pendent auriculae. Nigris ocellis,  
 16 et caudae placeo jubis comatae.  
 17 Nec sum corpore vasta, nec figura  
 18 tam brevi, ut videar puellularum  
 19 comes dignior esse, quam virorum.  
 20 Nec turpi scabie laboro ; nec sunt  
 21 invisi pulices mihi molesti.  
 22 Nec sum prorsus inutilis futura,  
 23 si lassam recreas, vehisque tecum ;  
 24 nam pedes tibi suaviter fovebo,  
 25 qui jam frigoribus rigent acutis.

26 Nec vero timeas, luto referta  
 27 quod via assidue ambularim ; amicus,  
 28 et cliens tuus optimus, Morilla  
 29 me suis manibus pie, ac benigne  
 30 puro flumine ter quaterque lavit,  
 31 et munda dedit esse mundiorem  
 32 sponsa, quam bona mater ad maritum  
 33 vult deducere nuptiis paratis.  
 34 Quod si non satis haec videntur esse  
 35 ad flectendum animum tuum ; catelli,  
 36 (ah nimis miseri mei catelli ! )  
 37 te, precor, moveant, tenella pleno  
 38 quos gestans utero, pedes movere  
 39 vix queo amplius : et tamen necesse est,  
 40 milliaria singulis diebus  
 41 multa conficiam misella, ni te  
 42 volo linguere. Sed prius vel istis  
 43 optem filiolis meis sepulcrum  
 44 fiant viscera matris ; ipsa praeda  
 45 optarim prius esse vel luporum,  
 46 quam te, maxime Pole, derelinquam.

CATELLA IN MADIUM

Cl\_36 v.1 Quid, efferate, quid, Madi nequissime,  
 2 catella feci blandula,  
 3 cur me meosque liberos crudeliter  
 4 Lingua proterva perderes ?  
 5 Per te, sceleste, factum, ut asperas quoque  
 6 Polus benignus in feras,  
 7 in me foret crudelis, ac meas preces  
 8 ventis ferendas traderet ;  
 9 et quae reliqui patriam, et dulces lares,  
 10 ne stulta vos relinquerem,  
 11 afflictata, maerens, semimortua cum meis  
 12 linquor catellis in via,  
 13 futura praeda mox lupis rapacibus,  
 14 turpive corvorum gregi.  
 15 Nec forma rara, nec mihi fidelitas  
 16 favore digna profuit ;  
 17 nec pulchra proles, ventre quam gero, saxea  
 18 mollire quivit pectora.  
 19 Proles misella, matre cum miserrima,  
 20 eheu tenebras horridas  
 21 adibis Orci, antequam nata haurias  
 22 jucunda caeli lumina !  
 23 Hoc urit anxium cor, hoc multo mea  
 24 me morte pejus enecat.  
 25 At tu catellam amabilem, et mitissimam  
 26 qui caede perdis impia,  
 27 Madi, in molossum pessimum incidas, precor,  
 28 qui te deos inanibus  
 29 votis vocantem laceret, ac membra omnia  
 30 dente cruento differat.

AD AURAM DE REGINALDO POLO CARDINALI

C1\_37 v.1 Aura quae lucum viridem pererrans  
 2 nos levi blande recreas susurro,  
 3 i, citis, quaeso, pete Reginaldum  
 4 candida pennis ;  
 5 tempera et suavi rapidum calorem  
 6 spiritu, circum volitans, nec aestus  
 7 igneus frangat sine delicati  
 8 corporis artus.  
 9 Sic ferum semper Boream sonoro  
 10 Aeolus clausum teneat sub antro :  
 11 sic tibi numquam noceat furentis  
 12 impetus Austri.

## DE LIBELLIS ANDREAE NAUGERII

C1\_38 v.1 Quot bruma creat albicans pruinas,  
 2 quot tellus Zephyro soluta flores,  
 3 quot spicae Libycis calent in agris,  
 4 quot vindemia porrigit racemos,  
 5 quot vastis mare fluctuat procellis,  
 6 cum nascens pluvias reportat Haedus,  
 7 quot Ceraunia frondibus teguntur,  
 8 quot caelum facibus micat serenum,  
 9 quot sunt millia multa basiorum,  
 10 quae dari sibi postulat Catullus,  
 11 quotque sunt atomi Lucretianae,  
 12 tot menses, bone Naugeri, tot annos  
 13 vivent aureoli tui libelli.

## AD MUSAS DE HORATIO GUALTERUTIO CAROLI FILIO

C1\_39 v.1 Nymphae progenies Jovis supremi,  
 2 cultrices Heliconii recessus,  
 3 quas cantus juvat et leves choreae,  
 4 vobis se famulum dicat tenellus  
 5 hic puer citharam ferens eburnam,  
 6 et stylum, et tabulas, puer disertus,  
 7 et dicaculus, et nitens ; novella  
 8 ut myrtus viridi hortulo. Puellae  
 9 pulchrae, illum sinite ad vireta vestra  
 10 laetum accedere ; nec juvena molli  
 11 flore vestiat os ei, poeta  
 12 dum factus culicem Maronis aequet,  
 13 aut vincat potius, venustiora  
 14 ludens carmina roscidis sub antris.

## AD HORATIUM GUALTERUTIUM CAROLI FILIUM

C1\_40 v.1 Alumne Musarum puer, tibi Thalia dulcis  
 2 Ab urbium frequentia remoto in antra Pindi,  
 3 frondis corona myrteae caput decorum inumbrat,  
 4 lyramque eburneam aureo docet ferire plectro ;



5 docet sonare vocula dulci melos suave,  
 6 quo fluminum volubiles moratur illa cursus.  
 7 Non plus Marone parvulo canorus olim Apollo  
 8 gaudebat : Orpheum parens non plus tenellum amabat.  
 9 O digne vita caelitum, tibi neant Sibyllae  
 10 vivacis aevum innoxiae manus trium sororum.

## DE GASPARE CONTARENO

C1\_41 v.1 Descripsit ille maximus quondam Plato  
 2 longis suorum amagibus voluminum,  
 3 quis civitatis optimus foret status :  
 4 sed hunc ab ipsa saeculorum origine  
 5 nec ulla vidit, nec videbit civitas.  
 6 At Contareno optimam Rempublicam  
 7 parvi libelli disputationibus  
 8 illam probavit esse, plus millesima  
 9 quam cernit aestas Adriatico in mari  
 10 florere pace, literis, pecunia.

## AD RODULPHUM PIUM CARDINALEM DE MORTE CONSTANTINI FRATRIS

C1\_42 v.1 Jam modum figas nimio dolori,  
 2 magne Rodulphe, et pueri quietam  
 3 desinas umbram miseris querelis  
 4 sollicitare.  
 5 Occidit frater tibi jure dulci  
 6 carior vita ; tamen ille justis  
 7 non reviviscet lacrimis. Nec ipsa  
 8 Parca movetur  
 9 questibus ; nec te pietas juvabit  
 10 hic tua. Obscuras potuit deorum  
 11 Manium sedes penetrare quondam  
 12 Thracius Orpheus,  
 13 visus et blandae citharae canoris  
 14 vocibus saevas Furias movere,  
 15 conjugem caram superas ad auras  
 16 ducere tendens.  
 17 Paene jam lucem miser hauriebat ;  
 18 Ditis impulsu stetit, et sequentem  
 19 respicit : retro fugit illa venti  
 20 ocior alis.  
 21 Hanc Charon putri revehit phaselo,  
 22 at procul ripa minitans, maritum  
 23 arcet incassum repetentem avari  
 24 munera Ditis.  
 25 Scilicet leges superum refigat  
 26 nemo ; mortalis pereat necesse est :  
 27 ut libet, vitam pater ipse divum  
 28 donat, et aufert.  
 29 Mors rapit cunis cita vagientem :  
 30 flore sub primo cadit alter aevi :  
 31 hic nimis vivax queritur caducae  
 32 damna senectae.

33 Sic Jovi magno placitum. Quid ergo  
 34 nitimur contra ? Misericordie semper  
 35 vivimus ? Quanto satius, libenter  
 36 ferre quod aequa  
 37 mente ni suffers, tamen est ferendum !  
 38 Quo reluctantes trahere obstinata  
 39 vis solet stultos, sapienter ipsi  
 40 ibimus ultro.

## AD ACHILLEM BOCCHIUM

C1\_43 v.1 Ergo (proh superum fidem ! )  
 2 Isto contegitur marmore Julia,  
 3 clarum Felsineae decus  
 4 Urbis ? Sic igitur, sic periit bona  
 5 nostri mater Achillei ?  
 6 Nec quidquam pietas sollicita in deos,  
 7 nec quidquam integra profuit  
 8 et mens, atque animi candor amabilis ?  
 9 En quisquam, juvenum optime,  
 10 consolando tuis ponere lacrimis  
 11 finem cogitet ? Hic, miser,  
 12 hic flendum, hic querulis omnia cantibus  
 13 imple. Haud aspera nunc suis  
 14 intrantem pepulit te foribus Chloe :  
 15 non non candidior nive  
 16 fastidit tua nunc carmina Tyndaris,  
 17 et collo dare brachia  
 18 orantis refugit : sed miser, ah miser,  
 19 mater Julia, Julia  
 20 heu mater, propriis luminibus tibi, et  
 21 vita carior occidit !  
 22 Quid laudare sacris usque pium juvat  
 23 vatem numina cantibus ?  
 24 Lesboumque agili tangere barbiton  
 25 plectro ? Ah carmina, barbitos,  
 26 surdorum ah valeant numina caelitem !  
 27 Sed quid irrita fundimus  
 28 lamenta ? Immeritos invidia deos  
 29 quid pulsamus inutili ?  
 30 Omnes una eadem mors manet. Ibimus  
 31 omnes ad tenebras nigri  
 32 Plutonis. Sed enim cum semel occidis,  
 33 non forma, aut decor ingeni,  
 34 nec te cana Fides eripiet feri  
 35 ex Orci manibus. Pius  
 36 frustra, parce nihil proficientibus  
 37 jam, Bocchi, querimoniis.  
 38 Maternas, aliquis si manet Inferis  
 39 sensus, credibile est tuo  
 40 laedi umbras gemitu. Desine, desine ;  
 41 et constanti animo feras,  
 42 quod mutare nequit dura necessitas.

## AD CAESAREM FLAMINIUM

Cl\_44 v.1 Ne Midae ingentes stupeas acervos,  
 2 Caesar, aut fultam Pariis columnis  
 3 regiam, aut regis nitido micantes  
 4 aere catervas :  
 5 ista sed vulgus feriant inane.  
 6 Tu piam mentem superos domumque  
 7 parvulam, et quantum satis est agelli  
 8 fertilis ora.  
 9 Ille thesauros Arabum, et superbas  
 10 Indiae gazas habet : has, et illos,  
 11 mente qui celsa, populique vanos  
 12 spernit honores.  
 13 Tu licet regno potiare, dives  
 14 quod tenet Medus, tamen usque servis,  
 15 imperat donec tibi plus habendi  
 16 dira cupido.  
 17 Triste portentum, macieque semper  
 18 lurida pallens. Nihil hac ab Orco  
 19 saevius misit superas ad auras  
 20 ira deorum.  
 21 Cautus hanc vita. Fugit hora curis,  
 22 et simul vitae positura finem.  
 23 Post rogum distat nihil ipse nudo  
 24 Croesus ab Iro.

## GRATULATUR ALEXANDRUM FARNESIUM GRAVI MORBO LIBERATUM ESSE

Cl\_45 v.1 Da vati citharam, puer,  
 2 et mecum superis incipe debitas  
 3 cantu solvere gratias,  
 4 qui nobis juvenem restituunt sacrum.  
 5 Jam tristes querimoniae  
 6 cessent, jam lacrimis, optima civitas,  
 7 tandem pone modum piis :  
 8 jam di, Roma, tuas audierunt preces.  
 9 En Farnesius inclytus  
 10 vivit, nec miseram funere patriam  
 11 foedat. Dicite, virgines,  
 12 dis laudes, pueri, dicite, candidi :  
 13 ludis, laetitia, jocis,  
 14 et faustis resonent omnia plausibus.  
 15 Caelo nubila Juppiter  
 16 pellat. Sol, nitidum jam caput exsere.  
 17 Urna fundere limpidas  
 18 undas incipiat jam Tyberis pater,  
 19 et septemgeminos tegant  
 20 montes purpureis lilia cum rosis.  
 21 At tu, Romuleae parens  
 22 Urbis, certa salus, et decus Italae  
 23 gentis, maxime Paulle, jam  
 24 divis solve bonis vota. Nepos valet ;  
 25 invictoque animo feret  
 26 tecum una imperii pondera maximi ;

27 Alcides velut impiger  
28 fulsit supposito sidera vertice.

## AD BACCHUM

C1\_46 v.1 Hanc vitem tibi dedico racemis  
2 gravem purpureis, pater Lyaeae ;  
3 pro qua tu mihi vineam tuere  
4 non dico a Satyrisve, capreisve,  
5 non a grandinis impetu, vel Austri,  
6 sed a Pygmalione Formiano,  
7 qui sua horribili voratione  
8 plus nocere queat duabus horis,  
9 quam grando, Satyrique, capraeque,  
10 et venti rabies duobus annis.

## IOCATUR IN PYGMALIONEM FORMIANUM

C1\_47 v.1 Si villam mihi laeserit pusillam  
2 pagus, surripiens favos, merumve,  
3 aut pernas, oleumve, fictilesve  
4 urnas, haud equidem deos rogabo,  
5 furum ut grandine rura verberentur,  
6 dum fruges gravidis tument aristis,  
7 nec lupi ut rapiant oves, sed unum hoc  
8 Vindicem scelerum Jovem precabor,  
9 ut cum ducere coeperit colorem  
10 uva livida, mittat horum in agros  
11 dirum Pygmaliona, vinearum  
12 pestem, et Tartareo cane, et Charybdis  
13 hiatu horribili voraciorem.

## AD VICINOS

C1\_48 v.1 Vicini, moneo, procul fugate  
2 istum Pygmaliona, vinearum  
3 diram perniciem. Canum frequentes  
4 adsint excubiae : diem, atque noctem  
5 sagittae, et lapides minentur. Et cum  
6 isthaec omnia feceritis, ipse  
7 vias inveniet tamen vorandi.

## VINEA

C1\_49 v.1 Illa ego innumeris onusta nuper  
2 racemis, decus inclytum coloni,  
3 omnes vinea vineas propinquas  
4 vincens fertilitate, nunc nec unum  
5 quidem servo acinum misella. Quaeris,  
6 unde haec perniciēs mihi, viator ?  
7 Venit Pygmalion silente nocte,  
8 et una minus hic moratus hora

9 me, quis crederet ? Integram voravit.

VINITORES

C1\_50 v.1 Praetor optime, vineas tueri  
 2 ab hoc Pygmalione jam nequimus.  
 3 Quo vorat magis, in dies et horas  
 4 augetur magis et magis vorandi  
 5 libido furiosa, nec Charybdis  
 6 hujus viscera quidquid est ubique  
 7 uvarum saturare possit. Ergo  
 8 rogamus miseri coloni, ut ista  
 9 tempestas, barathrumque vinearum  
 10 pellatur procul hinc malas in oras,  
 11 dum vindemia pendet : aut bibemus  
 12 lympham pro mero, et omnium labores  
 13 obscaena ingluvie unius peribunt.

AD PYGMALIONEM

C1\_51 v.1 Cedat, Pygmalion, tibi Celaeno,  
 2 Harpyiaeque aliae malae, et rapaces :  
 3 cedat horribilis Chimaera : cedat  
 4 et Scyllae rabies tremenda, et illa  
 5 cedat insatiabilis vorago,  
 6 quam Graii veteres vocant Charybdim.  
 7 Cedat tergeminus canis, laborque  
 8 cedat Herculis Hydra. Vincit omnes  
 9 tua insignis edacitas ; nec illam  
 10 jam queat saturare vinearum  
 11 quidquid maximo in orbe Sol tuetur.

AD EUMDEM

C1\_52 v.1 Uvae pernicies nefanda, si quam  
 2 pro tua ingluvie fera, et tremenda  
 3 poenam iudicio meo mereris,  
 4 hanc jus exigat : optimas ad uvas  
 5 relegere, manus, pedesque vinctus :  
 6 et semper capiti tuo imminentes  
 7 racemos habeas, eosque numquam  
 8 possis tangere. Non mehercule orbis  
 9 rotae Ixionaeae, vel unda fallens  
 10 parentem Pelopis vel omne in aevum  
 11 renascens Tityi jecur, vel ingens  
 12 saxum Sisyphi, et omnium impiorum  
 13 poenae omnes simul huic tuo, miselle,  
 14 queant supplicio pares vocari.

## AD BACCHUM

C1\_53 v.1 Tu, qui centimanum potes gigantem  
 2 caelo trudere, Pentheumque regem  
 3 leto mittis et impium Lycurgum ;  
 4 et Gangem superas, et ultimum Indum,  
 5 invictissime Bacche ; non furentem  
 6 istum Pygmaliona jam coerces ?  
 7 Qui fera ingluvie incitatus omnes  
 8 vineas vorat, et tuum liquorem,  
 9 qui servandus erat cadis in annos  
 10 plures, mittere ventris in cloacam  
 11 totum pergit, et annuos labores  
 12 absumit male pauculis diebus.  
 13 O monstrum horribile ultimas in oras  
 14 pellendum, aut magis Inferos ad imos !

## AD EUMDEM

C1\_54 v.1 Quod nostras, bone, vineas, Lyaeae,  
 2 servasti incolumes, et integellas  
 3 diro Pygmalione ceterorum  
 4 vineta ingluvie fera, et nefanda  
 5 vastante, hoc tibi ponimus sacellum ;  
 6 quod pro tempore fit quidem pusillum  
 7 acerna ex trabe, sed tamen venustum est :  
 8 at si sustuleris ferum, et tremendum  
 9 hoc monstrum, populus tibi merenti  
 10 aedem marmoream, pater, sacrabit.

## DE HORTIS BLOSII PALLADII

C1\_55 v.1 Blossi villula ter quaterque felix  
 2 felicissimi hortuli poetae  
 3 venusti, teneri mei sodalis,  
 4 quo vivente, sales, joci, lepores  
 5 vivent ; ac, pereunte, disperibunt :  
 6 ille molliculam suam Turundam  
 7 vos docet resonare, vos jocosus  
 8 ludentem hendecasyllabis odoro  
 9 fovetis gremio : relictas Apollo  
 10 Cirrha, Pieridesque vos frequentant,  
 11 ex quo deliciae suae, suique  
 12 amores Blossius vireta vestra  
 13 Cirrhae praetulit, Aonique monti.  
 14 Quid mirum, bona rura, si feratis  
 15 dulci nectare poma dulciora ?  
 16 Has dulcissimus omnium poeta  
 17 plantulas manibus suis feraces  
 18 sevit, inserit, et colit, suoque  
 19 Musaeo assidue rigat lepore.  
 20 Hoc perfusa lepore tam venustos  
 21 flores, tam varios benigna tellus  
 22 passim fundit humo : hoc lepore eodem

23 fontes luciduli, antra opaca, amoenum  
 24 nemus, tectaque pulchra condiuntur ;  
 25 ut omnes Veneresque, Gratiisque  
 26 hortis omnibus, omnibusque villis  
 27 omnino videamini abstulisse,  
 28 hortuli nimis, et nimis beati,  
 29 tuque villula ter quaterque felix.

## AD BLOSIUM PALLADIUM

C1\_56 v.1 Qualis susurrus arboris, cum florido  
 2 jam vere ludit aura primis frondibus :  
 3 vesanientis quale per Caniculae  
 4 aestum jacere in discolore gramine,  
 5 sub umbra amoena, fontis ad lympham sacri ;  
 6 tales mihi, poeta jucundissime,  
 7 lusus tui, quibus Turundam carmine  
 8 tam bello, amabili, et faceto concinis ;  
 9 ut illa carior Catulli passere  
 10 jam sit mihi, sive est quid illo carius.

## DE TURUNDA BLOSII PALLADII

C1\_57 v.1 Turunda, turdis esca solis cognita,  
 2 venusta cum te Musa non cognosceret,  
 3 nunc es lepore versuum dulcissimo  
 4 condita sic a Blosio meo, ut cibus  
 5 sis facta mensis principum gratissimus.

## DE EADEM

C1\_58 v.1 Turunda, turdos sueta edaces pascere,  
 2 postquam faceti Musa culta Blosii  
 3 dulcem leporem carminis tibi addidit,  
 4 non amplius turdos agris, sed urbibus  
 5 mentes virorum pascis elegantium.

## TURUNDA

C1\_59 v.1 Cum domos humiles Turunda ruris  
 2 ignota incolerem, dolosque turdis  
 3 hic parare solerem, amore captus  
 4 mei Blosius, omnium poeta  
 5 urbanissimus, ad suos penates,  
 6 et palatia celsa Vaticani  
 7 montis ducere rusticam, rudemque  
 8 haudquaquam erubuit, suaeque Musae  
 9 jocis, et numeris, leporibusque  
 10 condiens, ita amabilem saporem  
 11 addidit mihi, ut ire non vererer  
 12 ad mensas hominum elegantiorum.  
 13 Quin Farnesius ipse, flos Quiritum,

14 coenas magnificas sua Turunda  
 15 ornat cotidie. Haec ego ipsa mecum  
 16 non semel reputans, satis superque  
 17 fortunata mihi videbar esse,  
 18 ut quod praeterea deos rogarem,  
 19 in mentem hercule nil venire posset.  
 20 At nunc maximus ille rex Olympi,  
 21 qui terras tonitru quatit sonoro,  
 22 misit alipedem deum venusta  
 23 forma, pileolo comas tegentem  
 24 flavas, anguibus implicata virga  
 25 cui gestamen erat manus decorae,  
 26 ardebant oculi, et genas rubentes  
 27 pingebat niveus color, novoque  
 28 malas flore juvena vestiebat.  
 29 Is me purpureo ore ter quaterque  
 30 tentans corripuit, volansque summum  
 31 in caelum ad teneram tulit puellam,  
 32 pulchram, Juppiter ! Et decentem, aitque :  
 33 Quam gentes Italae vocant Turundam,  
 34 servato, soror, usque dum parata  
 35 jam cena pater accubet : petenti  
 36 tunc dato hanc ; etenim poeta summus,  
 37 cui nomen Blossio est, eam canendo  
 38 tantis laudibus extulit, comesse  
 39 ut ipsam cupiat pater deorum ;  
 40 et quidem meritissimo ; sapore  
 41 haec enim ambrosiae mihi videtur  
 42 longe suavior, omnibusque rebus  
 43 mortales quibus, et quibus beati  
 44 pascuntur superi. Haec locutus ille  
 45 abit : me nivea puella dextra  
 46 in cella bene olente collocavit,  
 47 ubi sunt epulae deum repostae.  
 48 Sic ego auspiciis bonis ab agro  
 49 ad urbem veniens, ab urbe summum  
 50 in caelum penetro, cibus supremo  
 51 Jovi, et caelitibus futura magnis.

## TURUNDA

C1\_60 v.1 Quis hoc credat ? Ego illa, quam comesse  
 2 nec dites, neque pauperes solebant,  
 3 quae solis avibus parabar esca,  
 4 nunc lautis superum Turunda mensis  
 5 acceptissima sum ; nec ullus est jam  
 6 qui non ambrosiae meum saporem  
 7 longe praeferat. Ore quisque divum  
 8 me vorat cupido, et canistra plena  
 9 mensis terque quaterque fert juvena ;  
 10 nec tamen satis est. Quid erudito,  
 11 dicat forte aliquis, deum palato  
 12 te gratam facit, o Turunda ? Nempe  
 13 Blossi daedala Musa me lepore  
 14 suo condit ita apte, et eleganter,



15 ut quo plus edor, hoc magis magisque  
 16 augecat studiumque, amorque edendi.  
 17 Quod ni caelicolas pudor vetaret ;  
 18 ab iis manderer usque, et usque, et usque :  
 19 Junonique, Jovique, ceterisque  
 20 dis magnis, mediocribus, pusillis  
 21 in manu forem, et ore continenter.

## TURUNDA

C1\_61 v.1 Quam sim caelitibus Turunda grata,  
 2 Blossi, disce simul, simulque ride.  
 3 Formosus Veneris puer, puerque  
 4 Idaeus Jovis inclyti minister,  
 5 me semper manibus gerunt, vorantque,  
 6 seu domi libeat manere, sive  
 7 per caeli varias vias vagentur.  
 8 Hos quidam e superis senex, opacam  
 9 qui barbam gerit, intuens ocellis  
 10 obliquis gemuit, dolensque dixit :  
 11 Felices pueri, quibus Turundam  
 12 per annos licet esse continenter,  
 13 et domi, et platea quoque frequenti ;  
 14 quod idem ut liceat mihi, libenter  
 15 sim trimus puer. At tibi senectus  
 16 sit semper viridis, poeta magne,  
 17 cujus munere praeferor beatis  
 18 a dis ambrosiaeque, nectarique,  
 19 seu quid suavius est, magisve dulce.

## TURUNDA

C1\_62 v.1 Illa ego, illa Turunda, rusticorum  
 2 quae spurca fieri manu solebam,  
 3 ut turdos caperem, cibus dolosus,  
 4 nunc domum Jovis incolo supremi,  
 5 ad caelum hendecasyllabis vocata  
 6 Blossi, candidi, et optimi poetae.  
 7 Hic me pulchra juvenia delicatis  
 8 confectam manibus suis, deorum  
 9 ad mensam aureolo ferens canistro  
 10 omnes exhilarat. Vorat jocosa  
 11 ore purpureo Venus Turundam ;  
 12 implet Juppiter os suum Turunda ;  
 13 Turundam ambrosiaeque, nectarique  
 14 praefert Mercurius : deum palato  
 15 nil est denique gratius Turunda.  
 16 Immo dique, deaeque cum Turundae  
 17 nil dulcedine posse comparari  
 18 arbitrantur ; et omnium Turunda  
 19 praestantissima judicor ciborum.  
 20 At tu, culte poeta, qui facetis  
 21 tuis versibus evehens ad astra,  
 22 me misces dapibus deorum, amicos

23 illos experiare semper ; et cum  
 24 terras liqueris, ad tuam Turundam  
 25 fruendam venias, receptus almi  
 26 Jovis concilio, sacraque mensa.

## TURUNDA

C1\_63 v.1 Quod orta in agro, et educata rusticis  
 2 casis, Quirini moenia, et celsas domos  
 3 mensasque principum virorum maxima  
 4 cum laude adivi, et inde campos aeris  
 5 erecta supra, Solis aureum jubar,  
 6 et clara Lunae cerno sub me lumina ;  
 7 quod me juventa pulchra delicatulis  
 8 formare palmis gaudet, et quod infimis  
 9 terris cibus volucrum, at alto in aethere  
 10 cibus deorum nominor gratissimus ;  
 11 quod denique ille rex Olympi maximus,  
 12 suprema rerum cui potestas omnium,  
 13 me dulciorem affirmat ipso nectare,  
 14 tuae Camoenae, Blosi, id omne debeo ;  
 15 tuae Camoenae, qua nec ulla dulcior,  
 16 nec ulla coetu dignior caelestium.

## TURUNDA

C1\_64 v.1 Pater deorum, vosque magni caelites,  
 2 si quid Turundae vota supplicis valent,  
 3 si dulce vobis exstitit quidquam meum,  
 4 meo poetae digna, quaeso, praemia  
 5 pro liberalitate vestra solvite.  
 6 Ut ipse dulci dulciorem nectare  
 7 vobis Turundam reddidit, sic illius  
 8 vos integratis viribus concedite,  
 9 forti juventa ut sit senecta fortior,  
 10 cunctisque rebus, ut cupit, fluentibus,  
 11 tantis dies noctesque abundet gaudiis,  
 12 ut semper ipsi laeta portet somnia  
 13 quies profunda, dulcis, et facillima.  
 14 Tum quos paravit delicatos hortulos,  
 15 Pomona semper incolat, nec arbores  
 16 aestu sinat, durove laedi frigore,  
 17 Notive flatu, aut verberante grandine.  
 18 Hic uva Cretam vincat ; et Phaeaciam  
 19 malus, pirusque ; Mediamque citrius :  
 20 hic prata semper floribus laetissima,  
 21 hic sint Favoni grata semper murmura ;  
 22 semper volucrum silva cantus audiat ;  
 23 nec manet ullo fonte lympa purior,  
 24 loquaciorve ; cumque vis Caniculae  
 25 furens hiulcat arva, siccat uberes  
 26 aquas, abundet hic amoenus fontium  
 27 liquor, gelu, nivisque vincens frigora.  
 28 Senex facetus, sub virente pampino

29 projectus alta in herba ad undas vitreas  
 30 suam Turundam cantet : illum Naides  
 31 inusitato carminis tactae sono  
 32 lustrent choreis :serta canis crinibus  
 33 e fronde myrti nectat alma Cypria.  
 34 Sic ille centum laetus annos exigat,  
 35 nunc civitatis deserens frequentiam,  
 36 nunc infrequentes urbe mutans hortulos.  
 37 At cum peractis cursibus vitae seni  
 38 jam fila Parcae legerint novissima,  
 39 illique placida mors ocellos clauserit,  
 40 blandi soporis more sensus auferens,  
 41 suam Turundam visat alto in aethere  
 42 poeta coetu caelitem dignissimus.

#### AD BLOSIUM PALLADIUM

C1\_65 v.1 Poeta docte, culte, amabilissime,  
 2 ipsa Turunda dulcior, quod audeo  
 3 tuae Camoenae candidae facetias  
 4 laudare turpi et infaceto carmine,  
 5 ecquid perinde ineptio, ac si condiam  
 6 absinthio mel ? Aut lutoso dextera  
 7 velim polire virginem pulcherrimam ?  
 8 Sed contra habeto sic, et animum advertito ;  
 9 ut pulchra turpi comparata pulchrior  
 10 puella fit ; sic et poetae non bono  
 11 bonus poeta copulatus, optimi  
 12 nomen lucratur. Ipse, qui jure optimo  
 13 poeta passim nominaris optimus,  
 14 quid ergo non lucraberis, si plumbeas  
 15 nugas meas, tuosque versus aureos  
 16 uno atque eodem junxeris volumine ?  
 17 Sed serio tandem ut loquar, quae carmina  
 18 scripsi jocando de Turunda, haec nemini,  
 19 si quid tuum sodalem amas, ostenderis ;  
 20 nam tecum ineptus esse, et insulsissimus  
 21 impune possum, ceteris sim fabula.

#### LIBER SECUNDUS

##### AD STEPHANUM SAULIUM

C2\_1 v.1 Pone metum, Sauli, longas jam pone querelas ;  
 2 Flaminius valet, ac laetus tibi carmina dictat.  
 3 Scilicet ut Romae corruptas fugimus auras,  
 4 et riguos patriae montes, saltusque salubres  
 5 venimus, effoetos venit quoque robur in artus,

6 diffugit macies, diffugit corpore pallor,  
 7 et somnus vigiles irrepsit blandus ocellos ;  
 8 quem neque desiliens crepitanti rivulus unda,  
 9 nec Lethaea mihi duxere papavera quondam.  
 10 Jam valeat Romana meo cum Principe tellus ;  
 11 certum est, in patriis aevum consumere silvis.  
 12 Si laetus pomis, et vili pascor oliva,  
 13 et juvat angusto vitam traducere tecto  
 14 ignotum, duplici pellentem frigora panno,  
 15 quid Regum turres, ac limina magna potentum  
 16 persequor, et dulcem dimitto stultus agellum ?  
 17 At tu, quem virtus, generis quem antiqua superbi  
 18 ad summos jam nobilitas tollebat honores,  
 19 vitasti sapiens urbana negotia : nunc te  
 20 lauricomas inter silvas, citriosque nitentes  
 21 Musarum placidae traducunt otia vitae.  
 22 Tu gelidam stratus formosi fontis ad undam,  
 23 qua leviter cultis immurmurat aura viretis,  
 24 occultas rerum causas, caelique meatus,  
 25 quid deceat, quae sint fugienda, sequendave, tractas.  
 26 Tu magni eloquium Tulli, numerosque secutus,  
 27 condis perpetuis mansura volumina chartis.  
 28 Nec tamen irriguos hortos ornare colendo,  
 29 nec citrium serere, aut buxum tondere comantem  
 30 negligis, aut sedes apibus optare quietas,  
 31 dulcia divini decerpens gaudia ruris.  
 32 Te, juvenis venerande, sequar ; quantumque benigni  
 33 di dederint vitae, contentus paupere tecto  
 34 jam vivam mihi secretis inglorius arvis.

#### IANTHIS

C2\_2 v.1 Venisti tandem, tandem, mea sola voluptas,  
 2 venisti, et lucem miserae vitamque tulisti.  
 3 Quantum vere novo gaudet lasciva capella,  
 4 aestivis quantum sitientes imbribus horti,  
 5 tantum, Mopse, tuo reditu laetatur Ianthis.  
 6 Te sine, care puer, leto mihi tristior ipso  
 7 Vita fuit, tardoque dies mihi tardior anno.  
 8 Seu tenebras Vesper, seu lucem ferret Eous,  
 9 me flentem Vesper, flentem cernebat Eous.  
 10 Lugebant silvae, lugebant mollia prata,  
 11 formosusque suos amiserat hortus honores ;  
 12 et desiderio domini pecus omne peribat.  
 13 Dulcia nunc tecum redierunt gaudia cunctis.  
 14 Aspice, te laeta pinus complectitur umbra ;  
 15 arguto properans te murmure lymphæ salutatur,  
 16 albaque purpureum tibi ducunt poma colorem ;  
 17 ipsa ego nunc dulci saturabo lumina vultu.  
 18 Discedet macies, discedet corpore pallor,  
 19 et tecum longos peragam feliciter annos.  
 20 Seu teneras solito pasces in monte capellas,  
 21 seu patrios fines linques, et pabula nota,  
 22 quidquid ages, formose puer, tua cara puella  
 23 tecum semper erit, terras comes ibit in omnes.

24 Jam didici, quid sit juvenem exspectare morantem ;  
25 exspectans una vel nocte puella senescit.

AD NYMPHAS DE FONTE PHILALETHIS

C2\_3 v.1 Naiades pulchrae, pulchris e fontibus ortae,  
2 hanc lympham vobis Philalethes dedicat. Illa  
3 nec fons frigidior quisquam, nec purior. At vos  
4 arenti vestram lympham defendite ab aestu,  
5 neu sitiunt myrti, neu desit floribus humor ;  
6 et domino ruris viridem servate senectam.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

C2\_4 v.1 Farnesi, vatum decus, et spes unica, nostri  
2 solus principium, et finis tu carminis esto :  
3 utque optata mihi dexter facis otia, sic te  
4 mansuro liceat cantu celebrare, meisque  
5 floreat aeternum tua virtus inclyta chartis :  
6 quod spondent Musae, et cultus mihi semper Apollo.  
7 Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,  
8 ille licet gazas Arabum, Croesique talenta  
9 congerat, et prisco sit regio a sanguine cretus,  
10 attigit infelix ubi metam ignobilis aevi,  
11 despectum jacet in tenebris sine nomine corpus,  
12 villicus occulto moriens ut pauper agello.  
13 Quaeque pio vati prudens si dona dedisset,  
14 viveret exsequiis invita morte superstes,  
15 illa meretrici dabit haeres. O male sani,  
16 discite divitiis uti sapienter. Avaris  
17 obruit hic aurum terris, caecoque furore  
18 in mediis opibus vivit rerum omnium egenus :  
19 alter avaritiam saeva plus morte perosus,  
20 rem patriam stulte vetitos effundit in usus,  
21 ingentemque auri scurrae populantur acervum.  
22 At sapiens recte dispensat dona deorum ;  
23 dat panem patriae ; reficit labentia templa ;  
24 et Musas fovet, et sacros ante omnia vates.  
25 Ergo illum dulci tollunt super aethera cantu,  
26 mortalemque vetant invisae occumbere morti.  
27 Sic Maecenatis, quo Tuscia gaudet alumno,  
28 usque feret nomen diversas fama per oras,  
29 dum rapidus circum terras volvetur Olympus.  
30 Ille quidem magnos reges aequaverat auro,  
31 cumque ipso curas partiri et gaudia suerat  
32 Augustus Caesar, rerum cui prima potestas :  
33 sed nihil Augustus, nil pondera divitis auri  
34 profuerunt, vitae legeret cum fila suprema  
35 Parcarum manus. Obscura caligine leti  
36 consitus inferna semper latuisset in umbra,  
37 ni miserata virum divini Musa Maronis,  
38 ipsius ad clarum famam evexisset Olympus.  
39 Scilicet ingeniis varia est vis insita. Rerum  
40 invigilant alii causas aperire latentes ;

41 et convexa poli penetrant, manesque sub imos :  
 42 hic jura imperiis describit : at ille rotundo  
 43 attentum ore tenet populum magnumque senatum.  
 44 At si quem placidis nascentem vidit ocellis  
 45 Castalii regina chori, et formosus Apollo,  
 46 ille urbis strepitum fugit, viridantia silvis  
 47 rura colens, gaudet longos extendere in annos  
 48 magnanimum heroum divino carmine laudes.  
 49 Ergo age virtutem, juvenum flos candide, solam  
 50 mirare, et doctos tua semper cura poetas  
 51 ornet alatque ; tuum ut vivat per saecula nomen.

## DE SE AEGROTANTE

C2\_5 v.1 Ergo adeo coeptum peraget Mors impia cursum,  
 2 ut post eversae tristia fata domus,  
 3 me quoque surripiat primo vix flore juventae ?  
 4 Et nostra exiguus jam tegat ossa lapis ?  
 5 Di, quorum auspicio communes hausimus auras,  
 6 parcite nunc vitae rumpere fila meae :  
 7 parcite, si vestros suspexi semper honores,  
 8 si nullo infecta est candida mens scelere.  
 9 Non prius ac caeli cursum confecit, Ibero  
 10 tingit anhelantes gurgite Phoebus equos :  
 11 at nunc perpetuam nobis Mors pallida noctem  
 12 portat, et infernos cogit adire lacus.  
 13 Et nondum est rugis facies mihi languida, nec dum  
 14 infecit nigras alba senecta comas.  
 15 Sic rosa vix laetum calathi pandebat honorem,  
 16 cum cadit, et rutilo murice pingit humum.  
 17 Jane pater, nostrae quondam spes una juventae,  
 18 jam condēs manibus lumina nostra tuis :  
 19 jam me postremo tumuli donabis honore ;  
 20 et cupies tantis non superesse malis.  
 21 Ast ego segura nequidquam mente parabam  
 22 grandia mox Umbri dicere facta Ducis.  
 23 Ut validas olim bello devicerit urbes ;  
 24 quem tremuit victis pulcher Isaurus aquis :  
 25 ut nunc indomitos certet contundere Iberos,  
 26 Italiaeque gravi solvere colla jugo.  
 27 Haec heu Persephone, supremi nuntia luctus,  
 28 vota dedit levibus diripienda Notis.  
 29 Saepe salutifero morbum depellere succo  
 30 tentavi : at nulla cesserat arte dolor.  
 31 Saepe deum supplex clamavi numina : sed non  
 32 audierunt nostras numina surda preces.  
 33 Quod si tanta sitis, nostrae si tanta cupido est  
 34 mortis, et effugii spes mihi nulla manet ;  
 35 ah liceat saltem Elysios invisere campos,  
 36 et fortunatae regna beata plagae ;  
 37 hic ubi cum molli Nemesis formosa Tibullo  
 38 ludit ; et est vati Lesbia juncta suo.  
 39 Et mihi, qualis erit teneris comitata puellis,  
 40 occurret celeri candida Lygda pede :  
 41 et dulces dabit amplexus, et basia junget,

42 junget et optati gaudia conjugii.

DE HERCULE ET HYLAE

C2\_6 v.1 Quid mirare, tuo si regnat corde Lycinna,  
 2 nec cessat tantis te cruciare malis ?  
 3 Crede mihi, non solus amas ; Veneris puer omnium  
 4 est divum, atque hominum maxima perniciēs.  
 5 Audisti ne, humeris caelum qui sustulit altis,  
 6 ausus et inferni regna subire dei ?  
 7 Ille idem tanto puerum dilexit amore,  
 8 ut, seu nox alto surgeret Oceano,  
 9 seu roseo terras vestiret lumine Titan,  
 10 Hercule cum magno candidus esset Hylas.  
 11 Nulla dies miserum puero sine vidit amantem,  
 12 nec cum tergemini corpora Geryonis  
 13 sterneret, atque alios invictus mille labores  
 14 imperio duri suscipere domini.  
 15 Quin etiam Colchos peteret cum pulcher Iason,  
 16 Amphytrioniadae tunc comes ibat Hylas.  
 17 Ibat Hylas, clavamque gerens, Libycamque pharetram.  
 18 Qualis cum molli parthenice pluvia  
 19 stat gravis, ac Phoebi radiis aspersa nitentem  
 20 dat lucem, Paphiae rarus honos Veneris.  
 21 Et jam Pleiades caelo caput attollentes  
 22 linquebant sacras Nereidum choreas,  
 23 cum Pagasae curvis e litoribus digressi  
 24 currebant celeri per vada salsa rate ;  
 25 quos comitabantur cinctae fulgentibus armis  
 26 Pallas, et ipsa potens caelicolum domina.  
 27 Jamque volans undis Nerei mirantibus, Argo  
 28 Mysorum claris urbibus appulerat.  
 29 Hic juvenes pictis e puppibus egredientes,  
 30 deponunt altis membra sub arboribus,  
 31 et molles sibi quisque toros bene olentibus herbis  
 32 extruit : intonso creverat herba solo.  
 33 At formosus Hylas taciti per devia montis  
 34 ibat luciduli sumere fontis aquam.  
 35 Fons erat in silva puris argenteus undis,  
 36 quem bicolore tegit populus alta coma.  
 37 Ac circum Paphiae densant umbracula myrtus,  
 38 et parit assiduas aura benigna rosas,  
 39 narcissumque, crocumque, immortalemque amaranthum,  
 40 et te flebilibus scriptum, hyacinthe, notis.  
 41 In medio faciles nodato corpore Nymphae  
 42 ludebant sparsis per rosea ora comis ;  
 43 quae puerum cupido miratae lumine, cum vix  
 44 illius molles tingeret unda pedes,  
 45 arreptum subito vitreum traxere sub amnem ;  
 46 ut quondam veris tempore purpurei  
 47 stella volans, caelo noctis delapsa per umbram  
 48 emicat, inque alto conditur Oceano ;  
 49 tunc laetus clamat summa de puppe magister,  
 50 candida felici pandite vela Noto,  
 51 pandite ; nam caelo superi bona signa dedere.

52 Sic ait, et placidis per mare fertur aquis.  
 53 At miser Alcides casu percussus acerbo  
 54 amissum toto litore clamat Hylam :  
 55 litore Hylam, furibundus Hylam per devia quaerit ;  
 56 qualis turicremas parva juvenca deum  
 57 concidit ante aras : sed fati nescia mater  
 58 non jam frondifero pascitur in nemore,  
 59 nec dulcem puri libavit fluminis undam ;  
 60 sed fertur celeri per nemora alta pede,  
 61 omnia mugitu complens, si forte veniret  
 62 bucula maternis obvia luminibus.  
 63 Sic heros, Hyla ingeminans, Hyla omnia replens  
 64 errabat dubio per loca sola pede.  
 65 Quantas ille fero profudit corde querelas !  
 66 Pallenti quantas ore dedit lacrimas !  
 67 Cum saepe optaret scopulo se mittere ab alto,  
 68 aut vitam rapidis ponere fluminibus.  
 69 Interea curvo solvens de litore funem,  
 70 Colchorum fines iverat Aesonides ;  
 71 quem desiderio pueri confectus inani  
 72 mox sequitur lacrimans Amphytrioniades.  
 73 Hos tu sollicitos heroum doctus amores,  
 74 disce libens durae ferre jugum dominae ;  
 75 nec te jam pigeat quemvis perferre laborem.  
 76 Omnis amor longo vincitur obsequio.

DE SE PROFICISCENTE NEAPOLIM

C2\_7 v.1 Pausilypi colles, et candida Mergillina,  
 2 et myrteta sacris consita litoribus,  
 3 si mihi post tantos terraeque marisque labores  
 4 contigerit vestrae limina adire Deae ;  
 5 limina, quae vates specula fundavit in alta  
 6 Actius, Eois clarus et Hesperiiis ;  
 7 his ego pileolum figam, et calcaria, et ense,  
 8 et quaecumque vagus arma viator habet.  
 9 Nec mihi jam quisquam vel prudentissimus ullas  
 10 aut pelagi, aut terrae suaserit ire vias ;  
 11 non mihi Persarum si detur regia gaza ;  
 12 non mihi si rubri serviat unda maris.  
 13 Quis furor est, nullis umquam requiescere terris,  
 14 atque alia ex aliis semper adire loca ?  
 15 Nec vitare graves aestus, nec frigora saeva,  
 16 nec timuisse vagae mille pericla viae ?  
 17 Felix, qui parvo contentus vivit agello,  
 18 nec linquit patriae dulcia tecta domus.  
 19 Quem versare juvat fecunda ligonibus arva,  
 20 et nitidam vitis fingere falce comam.  
 21 Aut gelidam summo lympham deducere clivo,  
 22 aestibus ut mediis arida prata bibant.  
 23 Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,  
 24 et tonsum liquidis mergere fluminibus.  
 25 Hic laribus certis, certisque sodalibus utens  
 26 magnorum vita caelicolum potitur.  
 27 Nec violentus eum crudeli vulnere latro,



28           nec fera caeruleo perdidit unda mari.  
29       Ille suis moriens suprema dat oscula natis  
30           deficiens casto conjugis in gremio.  
31       Illa viri fugientem animam dulci excipit ore,  
32           et claudit tenera lumina cara manu :  
33       dehinc tumulum viridi componit margine fontis,  
34           qua vetus arboreis decidit umbra comis.  
35       Huc madefacta piis lacrimis fert liba quotannis  
36           cum pueris veniens maesta puella suis :  
37       et magna manes compellat voce mariti,  
38           spargens fictilibus lac niveum calathis :  
39       nec potis est dulci tumulo se avellere, donec  
40       Hesperus invitam cogit abire domum.  
41       O fortunati cineres, umbraeque beatæ,  
42           morte obita si quem talia fata manent !  
43       At me, dum terras, et vasta per aequora curro,  
44           si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,  
45       quis tumulum faciet ? Tumulo quis tristia libans  
46           dona, peregrinas flebit ad inferias ?  
47       Jam valeant Alpes, et nimbifer Apenninus,  
48           tuque maris nostri litus utrumque vale.  
49       Me juvat umbrosis vitam nunc degere in hortis,  
50           et Phoebæ, et Musis otia digna sequi.  
51       Tum rerum causas, eventaque dicere : qua sint  
52           lege colenda homini numina sancta deum :  
53       qui deceant mores, faciat quæ vita beatum :  
54           quid verum falsis distet imaginibus.  
55       In primis celebrare Patrem fidibus juvat, a quo  
56           ex nihilo Vates omnia facta canunt ;  
57       Caelicolæ quem Tergeminum venerantur et Unum ;  
58           qui mare, qui terras, qui supera alta regit.  
59       O utinam ille suo me sistat numine sancto  
60           ad fortunati litora Pausilypi !  
61       Litora divino quondam celebrata Maroni,  
62           et patrio Minci flumine cara magis.  
63       Litora, quæ toties viderunt Calliopeam  
64           dictantem vati carmina docta suo.  
65       Sirenes illis stupuerunt versibus : illis  
66           carminibus somnis Nereis obstupuit.  
67       Ipse pater Tegeæus amoena vireta Lycaei  
68           linquens insolitis cantibus intererat :  
69       quem comitabantur silvarum numina Fauni,  
70           et Nonacrinae maxima turba deæ.  
71       Ille coronatus viridanti tempora myrto  
72           dicebat laudes, candide Daphni, tuas ;  
73       et quæ Maenalius dulci cantarat avena,  
74           dum pascit niveas Alpheisiboeus oves.  
75       Tum miseros Galli consolabatur amores,  
76           duritiam incusans, pulchra Lycori, tuam.  
77       Hinc laetas segetes, et Bacchi dona canebat,  
78           et pecus, et liquidis dulcia mella favis.  
79       Mox sese attollens, numero graviore sonabat,  
80           Trojani referens horrida bella ducis ;  
81       erroresque vagos, et diruta Pergama flammis,  
82           visaque Tartarei pallida regna dei ;  
83       tum patri celebrata prius certamina, paene

84 femina cum Phrygias perdidit una rates.  
 85 In primis fatum miserae deflebat Elisae,  
 86 quam tulit heu diro vulnere saevus amor.  
 87 Siste ratem, Aenea, properas quid funus amanti ?  
 88 Per Veneris quaeso numina siste ratem.  
 89 Quod si forte tuae mors est tibi cara puellae,  
 90 ah saltem in gremio concidat illa tuo.  
 91 Vos, o caeruleae formosa Doride natae,  
 92 vos dominum ad litus, quaeso, referte meum.  
 93 Sic vestro nulli veniant in amore dolores :  
 94 sic vobis semper mutuus adsit amor.  
 95 Ille canit : celso properant de vertice lauri,  
 96 et prata omnigeno flore colorat Hamus.  
 97 Tune sacrum felix aluisti terra Maronem ?  
 98 Tune pio celas ossa beata sinu ?  
 99 Anne etiam, ut fama est, Vatis placidissima saepe  
 100 inter odoratum cernitur umbra nemus ?  
 101 Felices oculi, fortunatissima silva,  
 102 et quidquid sancto nascitur in nemore !  
 103 Cui non sit dulci patria tua dulcior ora ?  
 104 Quis non te lucis praeferat Elysiis ?  
 105 Jam mihi Benaci laetissima litora sordent,  
 106 jam formosus aquis Mesulus irriguis.  
 107 Me tibi, terra beata, dico ; tu meta laborum,  
 108 jamque senescentis grata quies animi.  
 109 Tu, dum fata sinunt, lucemque, auramque ministras :  
 110 Tu, precor, extincti corporis ossa tege.

DE ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI

C2\_8 v.1 Dum puer aerias superat Farnesius Alpes,  
 2 et permutato currit anhelus equo,  
 3 illius crines flavos, corpusque decorum  
 4 ambrosiae liquido sparsit odore Venus ;  
 5 ne teneros pueri Sol igneus ureret artus,  
 6 frangeret aut nimius mollia membra labor.  
 7 Tum mirans ait : "O divum pulcherrima cura,  
 8 progenies claris edita semideis,  
 9 tune per Alpinas cautes, et inhospita saxa  
 10 tam tener admissio currere pergis ?  
 11 Et rapido cursu noctemque diemque fatigas ?  
 12 Ut natus Maia pulcher Atlantiades,  
 13 cum celeres patris defert mandata per auras,  
 14 et pennis terras transvolat, et maria.  
 15 Macte puer virtute, puer dignissime caelo,  
 16 Caesaris ad magni colloquium propera ;  
 17 ut tua miretur jam dicta, animumque virilem  
 18 Romani custos maximus imperii.  
 19 Et te jam primis venerari discat in annis  
 20 paullatim, donec fulserit illa dies,  
 21 cum genibus minor ipse tuis, spectante senatu,  
 22 procumbet sanctis oscula dans pedibus.  
 23 Nam simul aucta suum ver dulce peregerit aetas,  
 24 et te maturum fecerit illa virum,  
 25 auspicio divum regno praefectus avito

26 aurea Romanis tempora restitues.  
 27 Fortunate puer ! Per te felicia deget  
 28 otia pacatis hostibus Italia.  
 29 Illa tibi centum ponet de marmore templa,  
 30 illa tibi supplex annua sacra feret".  
 31 Haec Venus ; et puerum divinum amplexa recessit :  
 32 ille deae laetus munere currit iter.

AD ANTONIUM GIBERTUM

C2\_9 v.1 Docte puer, magni pulcherrima cura Giberti,  
 2 progenies silvis edita Pieriis,  
 3 te dulces oras in luminis egredientem  
 4 excepit tenero Calliopea sinu :  
 5 et capiti imposita lauri de fronde corona,  
 6 formosa Aoniis ora rigavit aquis.  
 7 Cui puero favet illa, is firma aetate poetas  
 8 antiquos doctis versibus aequiparat :  
 9 ipsum admirantur populi ; juvenesque, senesque  
 10 attoniti pendent vatis ab ore sacro.  
 11 Seu vexat miseras discordia flebilis urbes,  
 12 ille suis mulcet pectora carminibus.  
 13 Seu gravis ira deum morbos exasperat, iras  
 14 condonant vati numina magna pio.  
 15 Sic divos cithara placabat Thracius Orpheus,  
 16 sic hominum cultus molliit ille feros.  
 17 Fortunate puer ! tanto dignatus honore  
 18 despicio quidquid mobile vulgus amat.  
 19 Est patruus tibi praestanti virtute Gibertus,  
 20 quem tellus magnae suspicit Hesperiae.  
 21 Hoc duce relligio multos neglecta per annos  
 22 jam rediit : pulsa est vana superstitio.  
 23 Ipsius pare sanctis hortatibus : ipsum,  
 24 care puer, magni numinis instar habe.  
 25 Hoc duce Sirenum cantus, et pocula Circes,  
 26 et Veneris saevas effuge blanditias.  
 27 Qui sequitur Venerem, fugit illum candida Musa.  
 28 Ah miser ille puer quem dea docta fugit !  
 29 Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum  
 30 insidians ; caelo candida Musa beat.  
 31 Incautas juvenum mentes in monstra ferarum  
 32 vertebat Solis filia blanditiis.  
 33 Blanditiis captus, qui dextra vicerat Hydram,  
 34 hac eadem nevit Lydia pensa manu.  
 35 Alcide infelix, ubi sunt Erymanthia monstra,  
 36 victaque tergemini corpora Geryonis ?  
 37 Et tremefacta tua pallentia Tartara clava,  
 38 fultaque cum magnis sidera numinibus ?  
 39 Alcide infelix, tantis de laudibus istis,  
 40 o pudor ! Exuvias una puella capit.  
 41 Nos vero capiant Musarum gaudia sancta,  
 42 gaudia dis etiam cognita caelitibus :  
 43 quos tenerae mulcent jucunda voce sorores,  
 44 et citharae cantus suavis Apollineae,  
 45 cum pater auratis celebrat convivia tectis,

46 et dapibus mensas pulchra Juventa onerat.  
 47 At puer Idaeus niveo succinctus amictu  
 48 miscet supremo dulcia vina Jovi.  
 49 Hunc puerum virtus tanto praefecit honori :  
 50 huic puero pietas munera tanta dedit.  
 51 Ille colens centum salientem fontibus Idam,  
 52 sive vagas arcu sollicitaret aves,  
 53 sive sub umbrosa captaret frigora quercu,  
 54 qua fugiens liquido murmurat unda pede ;  
 55 Pieridas, Phoebumque patrem, divosque canebat,  
 56 qui virides silvas, qui supera alta tenent.  
 57 Dum canit, inclusum fulvis Jovis armiger alis  
 58 in sedes illum transtulit aetherias,  
 59 felices superum sedes, quas candida vestit  
 60 purpureo semper lumine Laetitia.  
 61 Tu quoque Musarum veneratus numina, dignum  
 62 caelesti puero te, bone, finge, puer.

#### DE DONO BENEDICTI ACCOLTI CARDINALIS

C2\_10 v.1 Hanc pateram Chio spumantem, auroque nitentem  
 2 Accoltus vati donat habere suo.  
 3 Ipse meri partem libo tibi, candide Liber :  
 4 et partem libo, pulcher Apollo, tibi.  
 5 Vos pateram contra Musarum nectare dulci  
 6 implete, et large proluite ora mihi,  
 7 Accolto dignas ut solvam carmine grates,  
 8 carmine, quod possit nulla abolere dies.

#### DE FAMA IDMONIS PERICLITANTE

C2\_11 v.1 Intemerata Fides, sancti germana Pudoris,  
 2 tuque Honor, et nudae simplicitatis Amor,  
 3 si teneris Idmon coluit vos semper ab annis,  
 4 et mens a turpi crimine pura nitet ;  
 5 vos juvenis famam praesenti arcete periculo,  
 6 et facite illa magis splendeat atque magis.

#### DE LEUCIPPE

C2\_12 v.1 Candida Leucippe, gratissimus ardor amantum,  
 2 mille sibi matres quam cupiere nurum,  
 3 se, dea Clara, tuis secretis sedibus abdit,  
 4 seque tibi famulam tempus in omne dicat ;  
 5 pro crinali auro, tenui circumdata velo,  
 6 flaventesque sacra forcipe tonsa comas ;  
 7 ut quae non casto mortales ussit amore,  
 8 nunc casto sanctos urat amore deos.

## DE FONTE RODULPHI PII CARDINALIS

C2\_13 v.1 Deliciae ruris fons formosissime, tuque  
 2 spelunca irriguis frigida pumicibus,  
 3 qui vos egregia magnus Pius arte creavit,  
 4 hanc vobis eadem condidit arte domum.  
 5 Vos lenite aestum curarum, fessus ab urbe  
 6 in vestrum quoties fugerit ille sinum.

## DE HIERONYMO SAVONAROLA

C2\_14 v.1 Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus,  
 2 Religio sanctas dilaniata comas  
 3 flevit, et : O, dixit, crudeles parcite flammae,  
 4 parcite ; sunt isto viscera nostra rogo.

## AD STEPHANUM SAULIUM

C2\_15 v.1 Ne tibi sim carus, Sauli carissime, ni te  
 2 plus amo, quam natum mater amare solet.  
 3 Et merito ; quis enim te dignior alter amari ?  
 4 Aut quid amore tuo dulcius esse potest ?  
 5 Quaerat opes alius, magnos sibi quaerat honores :  
 6 tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

## VIA VITERBIENSIS

C2\_16 v.1 Quae fueram pediti via vix superabilis ante,  
 2 per me securum jam rota currit iter.  
 3 Scilicet hoc tibi praecipuum nunc, maxime Paulle,  
 4 debetur munus pro pietate tua ;  
 5 qui cupidus regum magnos componere motus,  
 6 hanc senior toties isque, redisque viam.

## DE IMAGINE REGINALDI POLI

C2\_17 v.1 Si velut egregia pictura, maxime Pole,  
 2 est expressa tui corporis effigies,  
 3 sic divina tuae potuisset mentis imago  
 4 pingi, nil oculi pulchrius aspicerent.

## FONS NICOLAI RODULPHI CARDINALIS

C2\_18 v.1 Quod solitus silvis liquido pede currere in altis  
 2 nunc celebros augustae regia tecta domus,  
 3 gratia magna tibi, Rodulphi magne ; meam tu  
 4 per duri montis viscera ducis aquam :  
 5 ut qui vix fueram pecori bene cognitus ante,  
 6 nunc regum lymphis ora manusque lavem.

## DE FRANCISCO MOLSA

C2\_19 v.1 Postera dum numeros dulces mirabitur aetas  
 2 sive, Tibulle, tuos, sive, Petrarca, tuos ;  
 3 tu quoque, Molsa, pari semper celebrabere fama,  
 4 vel potius titulo duplice major eris :  
 5 quidquid enim laudis dedit inclyta Musa duobus  
 6 vatibus, hoc uni donat habere tibi.

## DE ACTIO SYNCERO

C2\_20 v.1 Quantum Virgilio debebit silva Maroni,  
 2 et pastor, donec Musa Maronis erit ;  
 3 tantum paene tibi debent piscator, et acta,  
 4 Acti, divino proxime Virgilio.

## DE AUGUSTINO NIPHO

C2\_21 v.1 Qui docuit rerum Niphus cognoscere causas,  
 2 non rerum oblitus hoc jacet in tumulo ;  
 3 sed caelo meliore sui cum parte receptus,  
 4 nunc gaudet melius discere quam docuit.

## DE 'URANIA' IOVIANI PONTANI

C2\_22 v.1 Quae cecinit claro fulgentia lumina caelo  
 2 Pontani doctis versibus Urania,  
 3 Phoebe, tuis magnam lucem addidit ignibus ; utque  
 4 nunc melius niteant sidera cuncta, facit.

## DE BENEDICTO LAMPRIDIO

C2\_23 v.1 Perdideras Varium ; nostro sed tempore laudes  
 2 Lampridius renovat, docta Cremona, tuas.  
 3 Ille Sophocleo cantabat digna cothurno :  
 4 iste canit lyricos Pindarico ore modos.

## DE GASPARE CONTARENO

C2\_24 v.1 Contarene, tuo docuisti, magne, libello  
 2 extinctis animas vivere corporibus :  
 3 ergo jure tui vivunt monumenta libelli,  
 4 et vivent saeculis innumerabilibus.

## DE ANDREA NAUGERIO

C2\_25 v.1 Naugeri, ne quis tibi certet, neve labore  
 2 incassum laudes aequiparare tuas ;  
 3 sive epigramma facis juncto pede, sive soluto  
 4 defles magnanimum funera acerba virum.

## DE BALTHASSARE CASTILIONO

C2\_26 v.1 Si truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte  
 2 diceris invicto, Castalione, satus :  
 3 at molli cithara si condis amabile carmen,  
 4 Castalia natus diceris esse dea.

## DE EODEM

C2\_27 v.1 Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis,  
 2 Castalione, tui carmina digna facis.  
 3 Idem cum molli vacuus requiescis in umbra  
 4 Castaliae, aeterno digna Marone canis.

## DE IOANNE COTTA

C2\_28 v.1 Si fas cuique sui sensus expromere cordis,  
 2 hoc equidem dicam pace, Catulle, tua :  
 3 est tua Musa quidem dulcissima, Musa videtur  
 4 ipsa tamen Cottae dulcior esse mihi.

## AD ACHILLEM PHILEROTEM BOCCHIUM

C2\_29 v.1 Achille, pater elegantiarum,  
 2 si Marcum tibi vis suos ocellos,  
 3 seu quid carius est suis ocellis,  
 4 debere, ut decet optimum sodalem,  
 5 noli subripere, obsecro, quod illi  
 6 multo carius est suis ocellis.  
 7 Sed quid carius est suis ocellis ?

## DE OTHRYADE EX GRAECO

C2\_30 v.1 Ecquem Othryade umquam, maxime  
 2 praestantiolem, Juppiter,  
 3 vidisti ? Iniquo ex Thyreae agro  
 4 solus reverti noluit  
 5 in patriam, sed fortiter  
 6 adegit intra pectora  
 7 ferrum, tropaeo ex proprio  
 8 tibi dicato sanguine.

## EPITAPHIUM MARULLI POETAE

C2\_31 v.1 Non occidi, viator, ut multi putant :  
 2 nam mortem obisse, fuit Marullo vivere.

## DE MEDEA PARTUM DETESTANTE

C2\_32 v.1 Operta mavult clypeo Amazonum more  
 2 ter proelium committere  
 3 Medea, quam pariens semel suam castae  
 4 zonam Dianae solvere.  
 5 Mirum cupit si esse absque liberis, mater  
 6 quos deinde facta sustulit.

## AD GUIDUM POSTHUMUM

C2\_33 v.1 Jam ver floricomum, Posthume, verticem  
 2 profert puniceo Chloridis ex sinu,  
 3 jam pellunt Zephyri frigus, et horrida  
 4 tellus exuitur nives.  
 5 Cantantes Hadriae marmora navitae,  
 6 audent velivolis currere puppibus :  
 7 nec tendens avidis retia piscibus  
 8 hibernas metuit minas  
 9 Sardus : jam virides gramina vestiunt  
 10 campos, et tumidis palmes agit graves  
 11 gemmas corticibus : jam volucres suis  
 12 mulcent aera cantibus.  
 13 At nos dum gravibus finis eat malis,  
 14 noctes, atque dies flemus, et intimis  
 15 urgemus (dominae sic Veneri placet)  
 16 Divum numina questibus.  
 17 Nil dives posito mensa juvat mero,  
 18 nil defessa quies lumina, nil lyrae  
 19 cantus, nil vario tibia carmine  
 20 maerorem eluere efficax.  
 21 Sed curae, heu ! miseri sunt animi dapes,  
 22 sed cordis lacrimae pocula, sed quies  
 23 confectum rigidae corpus humi jacens,  
 24 sed carmen mihi flebiles  
 25 questus, et dominae nomina : sic mihi  
 26 numquam veris eunt tempora : sic mihi  
 27 soles non aliquo tempore candidi :  
 28 sic mi perpetua est hiems.

## ECLOGA THYRSIS

C2\_34 v.1 Forte super tenero projectus gramine Thyrsis  
 2 pascentes vario mulcebat carmine tauros,  
 3 et virides pulchram resonabant Phyllida silvae ;  
 4 cum tenues prima indutus lanugine malas  
 5 affuit, et tristi sic coepit voce Menalcas.  
 MENALCAS  
 6 Ipse quidem molli dum captas frigus in umbra,  
 7 et tenerum fragili deducis arundine carmen,  
 8 nos heu perpetuis objecti fluctibus olim  
 9 jactamur, vacuasque errando ducimus horas ;  
 10 ex quo praeruptis veniens ex alpibus imber  
 11 assidua laetas foedavit grandine terras,



12 quas inter placido percurrit Mesulus amne  
 13 caeruleos densa praetextus arundine crines.  
 THYRSIS  
 14 Nos quoque diluvio ex illo rerum omnium egeni  
 15 fugimus : at dives parvo post tempore Moeris  
 16 hospitio excepit grato, armentique magistrum  
 17 esse dedit, pastasque etiam numerare capellas.  
 18 Et nos Phyllis amat misere formosa puella,  
 19 quae Satyros calamis, Phoebumque lacescere voce  
 20 audeat. Hanc multos nequicquam arsisse per annos  
 21 Alconem fama est, cui quina armenta per herbas,  
 22 et bis quinque greges altis in montibus errant.  
 MENALCAS  
 23 Desine plura, puer. Fuit et sua cura Menalcae :  
 24 nunc Veneris flammis, teneros nunc odit amores.  
 THYRSIS  
 25 Nos equidem terras alio sub sole jacentes  
 26 ibimus, et Libyae steriles mutabimus agros :  
 27 ipsa tamen dominae profugum sectetur imago,  
 28 formosamque omnes resonabunt Phyllida silvae.  
 MENALCAS  
 29 At memini cum forte gravis contagia morbi  
 30 invasere tuas bruma veniente capellas,  
 31 formosam nullae resonabant Phyllida silvae.  
 32 Te felix pleno circumstat Copia cornu :  
 33 ah dolor ! Ipse famem dura vix glande repello.  
 THYRSIS  
 34 Ergo ubi funereum in cinerem pallentia membra  
 35 solverit atra dies, Stygiamque innabimus undam,  
 36 si quis amicitiae sensus tellure sub ima est,  
 37 Ergo ubi funereum in cinerem pallentia membra  
 38 inter felices animas, et ditia regna  
 39 tunc etiam nostrum cantabit fistula Moerim.  
 40 Ille sui pecoris curam mihi credidit, illi  
 41 (quod mirere) etiam multum mea carmina curae.  
 42 Nam cum Cassategi pratis Corydonis ad ulmum  
 43 Lyctius alternis mecum certavit Amyntas,  
 44 iudicio illius victus mihi cessit Amyntas,  
 45 depositumque etiam mea fistula rettulit agnum.  
 MENALCAS  
 46 Fortunate puer nimium, tua si bona noris !  
 47 Hic inter gelidos fontes, et pascua laeta,  
 48 et densas corylos, sacraeque examina quercus  
 49 felicem vacuo traduces pectore vitam :  
 50 at nos per varios casus miseranda sequemur  
 51 exsilia, et toto fessi jactabimur orbe ?  
 52 Nec dabitis finem, crudelia fata, laborum ?  
 THYRSIS  
 53 Non semper gelidis effundit nubibus imbres  
 54 Juppiter, aut vasti feriunt cava littora fluctus  
 55 semper, et iratis strident Aquilonibus aurae.  
 56 Tu quoque vesano finem sperare dolori  
 57 aude, hospes. Forsan miserum meliora sequentur.  
 MENALCAS  
 58 Alta prius certos requiescent flumina cursus,  
 59 grataque pascentes fugient virgulta capellae,

60 quam fortuna modum nostris imponere damnis  
 61 annuat, incoeptumque velit mutare tenorem.  
 62 Hoc nobis quondam memini praedicere Mopsum,  
 63 cum mea bis septem nondum aetas viderat annos.  
 64 O pecus, o dulces quondam mea cura capellae,  
 65 et semper teneris vernantia floribus arva,  
 66 vos ego non aliquo infelix post tempore visam ?  
 67 Inque peregrina moriens tellure recondar ?  
 68 O potius subito pigrae telluris hiatu  
 69 devorer ; aut magno pro munere solus in altis  
 70 exponar silvis Numidarum praeda leonum.

THYRSIS

71 Huc ades, o miserande puer ; jam vesper Olympo  
 72 surgit, et alma dies primae decedere nocti  
 73 incipit, errantes herbosa ad flumina tauros  
 74 ducam ego, mox saturos cogemus ovilibus agnos.  
 75 Hic poteris nostrum post cenam visere Moerim,  
 76 illius et verbis aliquam sperare salutem.

DE DISCORDIA ORDINIS PARENTE AC MUNDI PROCREATRICE

C2\_35 v.1 Nonne vides hanc molem, atque haec variantia membra ?  
 2 Nunc illa inter sese arcto coeuntia nexu  
 3 exercent placidam felici foedere pacem ;  
 4 sensiferi unde vigent mortali in corpore motus :  
 5 irarum ingenti nunc tempestate coorta  
 6 incipiunt rimis agitata fatiscere, donec  
 7 dissiliant duro vitai in litore fata.  
 8 Talibus inter se vicibus volvuntur in orbem  
 9 et pecudes, et montivagum genus omne ferarum,  
 10 et volucres pictis tranantes aera pennis,  
 11 quaeque latent liquido Nerei sub gurgite monstra,  
 12 velivolaeque rates et amantes aspera dumi.

DE VIRGILIO

C2\_36 v.1 Dicite, qui ripas Minci coluistis olores,  
 2 vobiscum exorta est gloria Virgilii ?  
 3 Dic mihi, Parthenope, sic sis pulcherrima semper,  
 4 Virgiliusne tuo decidit in gremio ?  
 5 Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,  
 6 inter Sirenum decubuisse choros.

DE FONTE QUODAM OPTIMO

C2\_37 v.1 Si te per aestum fervida premit sitis,  
 2 hoc fonte dulci nil salubrius bibes :  
 3 at si lavare frigida corpus juvat,  
 4 hoc fonte puro nulla lympha gratior.

## DE VIA AD VITERBIUM INSTAURATA

C2\_38 v.1 Viator, hanc equis viam paene inviam,  
 2 jubente Paulo Tertio, Respublica  
 3 Viterbiensis reddidit facillimam.

## DE EADEM

C2\_39 v.1 Quod pacis ergo magna itinera suscipis  
 2 terra marique, Paulle maxime, hanc viam  
 3 Viterbiensis civitas, factam suo  
 4 sumptu, merenti grata dedicat tibi.

## DE MOLSA, QUEM MORTUUM PUTABAT

C2\_40 v.1 Quod te defunctum flerim, falsoque sepultum  
 2 crediderim, haec nostri signa doloris erant.  
 3 Ast modo, quod vivas, mihi gaudeo, gratulor orbi :  
 4 sic Pylios vivas Euboicosque dies.  
 5 Tu, puer, i, templo pictam suspende tabellam :  
 6 pensa hanc pro Molsa sospite et incolumi.

## DE EODEM

C2\_41 v.1 Rumor erat periisse frequens te, quisque et ademptum  
 2 credidit : hinc questus, hinc lacrimae, hinc gemitus.  
 3 Et quis non fleret Molsam, quo sospite tantum  
 4 Etrusca, et Graia, et lingua Latina valet ?  
 5 Gratia magna Jovi, quod vivas ; maxima Phoebo,  
 6 quem timui, ah, vatem deseruisse suum.  
 7 Perlege, nec pudeat de te quodcumque notabam  
 8 credulus : hoc nostri pignus amoris habe.

(sine titulo)

C2\_42 v.1 Non vivam sine te, mi Brute, exterrita dixit  
 2 Porcia ; et ardentes sorbuit ore faces.  
 3 Davale, te exstincto, dixit Victoria, vivam,  
 4 perpetuo maestos sic dolitura dies.  
 5 Utraque Romana est, sed in hoc Victoria major :  
 6 nulla dolere potest mortua, viva dolet.

## LIBER TERTIUS

## Lusus Pastorales continens

- C3\_1 v.1 Pan pater, et Silvane senex, Faunisque bicornes,  
 2 tuque pharetratae candida turba deae,  
 3 si mea vos dulci delectat fistula cantu,  
 4 si semper vobis annua dona fero,  
 5 parcite purpureos, quaeso, violare racemos,  
 6 neu tangant avidae lutea pruna manus.  
 7 Hunc agrum dat habere mihi Farnesius heros :  
 8 gratus ego haec illi munera prima dico.
- C3\_2 v.1 Cum facies iter hac, Farnesi candide, Iolam  
 2 ne pudeat, quaeso, semper adire tuum.  
 3 Te vocat arguto viridissima silva susurro,  
 4 te liquidi fontis garrula lympa vocat.  
 5 Villula pulchra, tui memorabile munus amoris,  
 6 jamdudum gestit ora videre tua.  
 7 Magne puer, ne parva, precor, fuge limina : saepe  
 8 pastorum subiit Juppiter ipse casas.
- C3\_3 v.1 Heu quid ago ? Moritur mi animus, mellita Nigella,  
 2 ni tibi quamprimum basiolum rapio.  
 3 At si basiolum rapio, vereor, tibi mecum  
 4 ne sint aeternae post inimicitiae,  
 5 quae me non morti modo dent, sed post quoque mortem  
 6 perpetuo poenis tristibus excrucient.  
 7 Sed rapiam ; immo non. Utrum, o anime, efficiam vis ?  
 8 Nescio, sed tantum sentio, quod pereo.
- C3\_4 v.1 Intonsi colles, et densae in collibus umbrae,  
 2 et qui vos placida fons rigat ortus aqua,  
 3 si teneros umquam Fauni celastis amores,  
 4 si vos Nympharum dulcia furta juvant,  
 5 este boni, tutasque mihi praebete latebras,  
 6 dum sedet in gremio cara Nigella meo.
- C3\_5 v.1 Fugit hiems, nitidis vestitur frondibus arbor,  
 2 jamque novos ducit candida Flora choros.  
 3 Et cedit Boreas Zephyri genitalibus auris,  
 4 et victum pecori sufficit almus ager.  
 5 Nunc, Amarylli, gregem secreta pascere silva,  
 6 nunc dabitur Veneris dulcia furta sequi.  
 7 Tu venerare deam, sertisque recentibus orna,  
 8 illius et sanctos imbuat agna focos,

9 jucundam ut nobis inter nos ducere vitam  
10 annuat, et tuto semper amore frui.

C3\_6 v.1 Jam fugat humentes formosus Lucifer umbras,  
2 et dulci Auroram voce salutatur avis ;  
3 surge, Amarylli, greges niveos in pascua pelle,  
4 frigida dum cano gramina rore madent.  
5 Ipse meas hodie nemorosa in valle capellas  
6 pasco, namque hodie maximus aestus erit.  
7 Scisne Menandrei fontem, et vineta Galesi ?  
8 Et quae formosus rura Lycampus habet ?  
9 Hos inter colles recubat viridissima silva,  
10 quam pulcher liquido Mesulus amne secat :  
11 nec gelidi fontes absunt, nec pabula laeta,  
12 et varios flores aura benigna parit.  
13 Illic te maneo solus, carissima Nympha :  
14 si tibi sum carus, tu quoque sola veni.

C3\_7 v.1 Dum sonat argutis late vicinia grillis,  
2 tu, Pholoe, dulci pressa sopore jaces.  
3 Ipse vagor media solus de nocte, tuosque  
4 ad caros postes florida sarta fero ;  
5 quaeque teris nuda calcando limina planta  
6 osculor, et lacrimis tristibus illa rigo.  
7 Tu, precor, aut nostri miserere, aut si tibi tantum  
8 displiceo, hic animam ponere dura jube.

C3\_8 v.1 Et tonat, et vento ingenti nemus omne remugit,  
2 et cadit effusa plurimus imber aqua :  
3 noxque soporiferis alis circumdata caecam  
4 horrenti latebra nubis opacat humum.  
5 Ipse tamen Veneris crudeli compede vinctus  
6 ad dominae cogor pervigilare fores.  
7 Saevit hiems, Auster densissimus aere saevit,  
8 sed gravius nostro pectore saevit Amor.

C3\_9 v.1 Sic tibi perpetuam donet Venus alma juventam,  
2 nec faciem nitidam ruga senilis aret,  
3 post cenam cum matre tua, dulcique Lycinna  
4 ad matrem, Pholoe cara, venito meam.  
5 Hic simul ad magnum laeti vigilabimus ignem :  
6 candidior pulchra nox erit ista die.  
7 Fabellas vetulae referent : nos laeta canemus  
8 carmina : castaneas parva Lycinna coquet.  
9 Sic noctem tenerisque jocis, risuque trahemus,  
10 dum gravet incumbens lumina nostra sopor.

- C3\_10 v.1 Jam rapidus torret mediis Sol aestibus agros ;  
 2 ad vallem niveum duc, Ligurina, gregem.  
 3 Hic avium cantus, hic fons nitidissimus antro  
 4 prosilit, hic densis quercubus umbra cadit :  
 5 et circum flores examina laeta susurrant,  
 6 et Zephyri blando murmurat aura sono.  
 7 Hic laudes, formosa, tuas mea fistula dicet :  
 8 tu Dryadum calamo dulcia furta canes.
- C3\_11 v.1 Nascitur, et nostro Vesper crudelis amori  
 2 jam caulis saturas ducere mandat oves.  
 3 Deliciae Ligurina meae, te linquere cogor,  
 4 sed tecum remanet mens, animusque meus.  
 5 Quod superest, ubi jam tenebris Aurora fugatis  
 6 in silvam croceo mane reducet oves,  
 7 hic illas, mea vita, iterum cogamus in unum,  
 8 hic iterum dulcis me tibi jungat amor.
- C3\_12 v.1 Esto magna Ceres, et Pan mihi testis ; amantum  
 2 et quae firma facit foedera, sancta Venus ;  
 3 nulla dies, Ligurina, tuo me solvet amore,  
 4 non si me Dryadum sanguinis una petat.  
 5 Ut rupem hanc validis impellunt flatibus Euri,  
 6 sed nullo rupes verbere pulsa labat,  
 7 sic semper mea magna fides immota manebit,  
 8 et mea mens uni serviet usque tibi.  
 9 Dii faciant, in amore pares vivamus, et uno  
 10 ambos una tegat funeris hora loco.
- C3\_13 v.1 Quo te venturam dixti, cum mater ad urbem  
 2 iverit, huc furtim, lux mea, primus eo.  
 3 Dumque venis, longo brevis hora videbitur anno  
 4 longior. Ulla igitur si tibi cura mei,  
 5 tolle moras omnes, timor omnis et absit ; amanti  
 6 et comes, atque viae dux erit ipsa Venus.
- C3\_14 v.1 Si Ligurina meos hodie non ludit amores,  
 2 amplexus hodie si petit illa meos ;  
 3 hoc tibi muscoso laetus, Cytherea, sub antro,  
 4 aram de viridi caespate constituam :  
 5 laetus ego spumante novo tria cymbia lacte,  
 6 et totidem fundam cymbia plena mero :  
 7 tum late variis halantem floribus aram  
 8 imbuet effuso lecta cruore bidens.  
 9 Saltabit Ligurina : tuas mea tibia laudes  
 10 cantabit, dulces fundere docta modos.  
 11 Haec tibi, sancta Venus, sollempnia sacra quotannis

- 12 et faciam, et magno semper honore colam.  
 13 Tu fac, diva, tuum supplex dum numen adoro,  
 14 currat in amplexus cara puella meos.
- C3\_15 v.1 Hos tibi purpureos in sarta nitentia flores,  
 2 dum Sol exoritur, Thestyli cara, lego,  
 3 dumque lego, crebra ingeminans suspiria dico,  
 4 o utinam fieri vos, mea dona, queam !
- C3\_16 v.1 Thestyli cara, favis Hyblaeis dulcior, ecquid  
 2 munera pulchra vides, quae tibi ab urbe fero ?  
 3 Aspice flaventem pallam, roseosque cothurnos,  
 4 et mitram, et bullis cingula clara suis.  
 5 Haec ego dum porto, vidit pulcherrima Phyllis,  
 6 atque ait : "Haec dederis si mihi dona, puer,  
 7 et Venerem, et Cereris sanctissima numina testor,  
 8 te praeter nullus Phyllida habebit amans".  
 9 Ast ego per Phoebum, et Musas, mea Thestyli, juro,  
 10 (si fallo, semper sis inimica mihi)  
 11 nulla puella meos te praeter habebit amores :  
 12 dum vivam, semper tu meus ardor eris.
- C3\_17 v.1 Thestyli, si qua tui superat tibi cura Myconis,  
 2 crastina cum caelo fulserit orta dies,  
 3 ad Cereris vallem niveas compelle capellas,  
 4 nec longam pigeat te, precor, ire viam.  
 5 Inde graves aestus ubi Sol accenderit, antro  
 6 succede, arbuteis quod tegit umbra comis.  
 7 Hoc ego furtivo ingrediar pede munera portans,  
 8 quae jampridem orat Phyllis habere sibi,  
 9 munera vel Nymphis dignissima. Si sapis ergo,  
 10 ad dulces latebras incommitata veni.
- C3\_18 v.1 Dic age, quid tecum faciebat, perfida, Thyrsis  
 2 sub corylo matrem dum sopor altus habet ?  
 3 Ah ego te pueri circumdare brachia collo,  
 4 ah ego te vidi : sed pudet illa loqui.  
 5 Thestyli, tene meo quemquam praeponere amori ?  
 6 Amplexus alii tene dedisse meos ?  
 7 At neque me Phyllis, nec formosissima Gorgo,  
 8 nec movit roseis candida Nisa genis.  
 9 Ipsa mihi furtiva tulit munuscula saepe,  
 10 sed lacrimans semper rettulit illa domum.  
 11 At tibi cur placuit tantum puer iste ? Quid, oro,  
 12 quid tantum egregii possidet iste puer ?  
 13 Hic domini custodit oves. Ego mille capellas  
 14 pasco, quas moriens tradidit ipse pater.  
 15 Hic Dorylae indocto cessit cantando : peritus

16 et voce, et calamis cessit Agyrta mihi.  
 17 Nec pede, nec jaculo valet hic, nec viribus : ipse  
 18 audeo vel magnas sollicitare feras.  
 19 Sunt mihi flaventes tenera lanugine malae,  
 20 sunt nitidi crines, sunt rosea ora mihi.  
 21 Ipsa meos oculos tua sidera saepe vocasti,  
 22 ipse tibi quondam pulcher Adonis eram.  
 23 Nunc ego despectus ; nec te, male sana puella,  
 24 nescio quem prae me Thyrsin amare pudet ?  
 25 Jam fugiat leporem canis, accipiterque columbam,  
 26 incultique ferant dulcia poma rubi.  
 27 Jam sperent, metuantque simul miseri omnia amantes.  
 28 Credite, nulla fidem servat amica viro.

C3\_19 v.1 Huc ades, o mea Lygda, parum decede calori,  
 2 dum medio caeli Sol gravis orbe furit.  
 3 Nonne vides, ut tota fluas sudoribus ? Utque  
 4 jam lassae nequeant stringere farra manus ?  
 5 Hic patulae ramis sociant umbracula fagi,  
 6 quas circum irriguis Mesulus errat aquis.  
 7 Nec salsae desunt oleae, nec olentia caepe,  
 8 nec liba, aut veteri cymbia plena mero.  
 9 Huc ades : ardenti maneat sub Sole Nigella.  
 10 Te molles umbrae, candida Nympha, decent.

C3\_20 v.1 Irrigui fontes, et fontibus addita vallis,  
 2 cinctaque piniferis silva cacuminibus,  
 3 Phyllis ubi formosa dedit mihi basia prima,  
 4 primaque cantando parta corona mihi :  
 5 Vivite felices, nec vobis aut gravis aestas,  
 6 aut noceat saevo frigore tristis hiems.  
 7 Nec lympham quadrupes, nec silvam dura bipennis,  
 8 nec violet teneras hic lupus acer oves :  
 9 et nymphae laetis celebrent loca sancta choreis,  
 10 et Pan Arcadiae praeferat illa suae.

C3\_21 v.1 Rivule, frigidulis Nympharum e fontibus orte,  
 2 qui properas liquido per nemora alta pede,  
 3 si, formose, venis formosum ad Phyllidis hortum,  
 4 arentique levas aurea mala siti,  
 5 illa tibi centum dabit oscula, queis tua fiet  
 6 dulcior Hyblaeis unda beata favis.

C3\_22 v.1 Cum ver purpureum tepidi fert aura Favoni,  
 2 ornatur variis floribus almus ager,  
 3 formosae rident silvae, sunt omnia laeta,  
 4 et cantu volucrum dulcia rura sonant.  
 5 At mihi tristis hiems formosior, et mihi Vere



6           laetior adveniet, si, mea Lygda, redis.

- C3\_23    v.1       Cum Boreas laeto silvam spoliavit honore,  
           2           squalet ager, mixto nix jacet alta gelu :  
           3           non liquidi currunt amnes, stat nubibus aer  
           4           obscurus, volucrum garrula turba silet.  
           5           Tale facis ver, cara, tuo, Ligurina, recessu.  
           6           Te sine formosum, te sine dulce nihil.
- C3\_24    v.1       Ut quondam nivei correpta cupidine tauri  
           2           mugitu resonat bucula maesta nemus,  
           3           illius caros si forte abducit amores  
           4           pastor : non miseram gramina laeta juvant,  
           5           non liquidi fontes ; talis mea vita, paterno  
           6           postquam rure procul me sine, Lygda, fugis.
- C3\_25    v.1       Ut formosa suo felix est bucula tauro,  
           2           nec latos querulis vocibus implet agros,  
           3           si dulci reditu caram solatur amantem  
           4           carus amans ; talis candida vita mea,  
           5           meque prius miserum fecit Venus alma beatum,  
           6           ex quo restituit te, Ligurina, mihi.
- C3\_26    v.1       Aspicis ut laeti surgunt per gramina flores ?  
           2           Explicat ut virides arbor ubique comas ?  
           3           Ut melius fulgent soles, ut nubila caelo  
           4           diffugiunt ? Terris diffugiuntque nives ?  
           5           Haec facies, haec est Lygdae ridentis imago ;  
           6           tristitiam vultu sic fugat illa suo.
- C3\_27    v.1       Vidisti nitidas per candida lilia guttas  
           2           ludere, cum tenui decidit imber aqua ?  
           3           Et rorem de puniceis stillare rosetis,  
           4           cum spirat nascens frigora blanda dies ?  
           5           Haec facies, haec est Ligurinae flentis imago ;  
           6           illius lacrimis me ferus urit Amor.
- C3\_28    v.1       Haec, Cytherea, suo dulci cum compare turtur  
           2           caeditur ante tuos victima grata focos.  
           3           Unus amor caros felici copula amantes  
           4           junxerat : unanimes abstulit una dies.  
           5           Talis amor pulchram tenero cum Daphnide Nisam  
           6           vinciat aeterno foedere, sancta, precor ;  
           7           et dum longa dies senio consumpserit ambos,

8 alter in alterius corpore vivat amans.

C3\_29 v.1 Luna decus caeli, astrorum regina bicornis,  
 2 quae medio raptim laberis alta polo,  
 3 ad dominam propero, qua nec formosior umquam  
 4 pavit, nec pascet ulla puella gregem.  
 5 Tu, mea ne quisquam valeat deprendere furta,  
 6 conde precor lucem, candida diva, tuam.  
 7 Sic tibi sic proprio splendescere lumine : sic par,  
 8 et magni radiis aemula Solis eas.

#### LIBER QUARTUS

reliquos Lusus Pastorales continens

C4\_1 v.1 O quae venusta Sirmionis litora  
 2 colis, Catulli candida  
 3 Musa, et beatam citrii silvam doces  
 4 pulchram sonare Lesbiam,  
 5 en nos Taburni in valle florida tibi  
 6 aram virenti e caespate,  
 7 et terna melle, terna lacte ponimus  
 8 spumante plena cymbia,  
 9 et te vocamus voce supplici, dea,  
 10 ad sacra parva, sed pia,  
 11 ut nostram Hyellam fistula dulci canas ;  
 12 qua nulla rure pulchrior  
 13 vixit, nec ulla vivet ullo tempore  
 14 cani puella dignior.  
 15 At tu vireta amoena, et undas limpidi  
 16 relinque Benaci libens.  
 17 Et hic Favoni lenis aura murmurat :  
 18 et hic avium dulci sono  
 19 mulcetur aer ; prata floribus nitent ;  
 20 purique fontes vitreis  
 21 lymphis decentes frigerant nemorum deas,  
 22 cum fessa damarum nece,  
 23 et icta luce fervida Solis, redit  
 24 pudica Dianae cohors.  
 25 Quare, o puella candida, huc aditum feras,  
 26 nobisque versus dicito,  
 27 per quos Hyella vivat, usque dum tua  
 28 formosa vivet Lesbia.

C4\_2 v.1 Caper, Capella caelitum beatior,  
 2 quem tam venusta, tam puella candida,  
 3 stipante maximo capellarum grege,  
 4 agit per alta montium cacumina,  
 5 cum Sol recludit splendido caelum die,  
 6 albentque laeta rore cano gramina.  
 7 At cum furentis excitatus ictibus  
 8 solis siticulosus ignescit calor,  
 9 nec aura pulchris arborum instrepat comis,  
 10 te ducit illa fontis ad lympham sacri,  
 11 qui prosilit virente murmurans specu ;  
 12 domus choreis Naidum gratissima,  
 13 et semicapri dulce lenimen dei,  
 14 cum fessus a labore montivago redit.  
 15 Hinc te reductis vallium cubilibus  
 16 sistens, tenello lassulum sinu fovet,  
 17 cingitque carum floreis sertis caput,  
 18 suadetque, blandos sensim inire somnulos ;  
 19 nunc mollicella barbulam mulcens manu,  
 20 nunc dulciora melle fundens carmina,  
 21 canente garrulo simul avium choro.  
 22 Exin cadente Sole cum Nox extulit  
 23 micantibus stellis coronatum caput,  
 24 et prata grillis personant argutulis,  
 25 te bella Hyella cum tuis uxoribus  
 26 domum reducit mollia ad praesepia,  
 27 vobisque salsas frondium dapes parat.  
 28 Cui vita capro contigit jucundior ?  
 29 Quem capripes Pan, aut potens pecorum Pales  
 30 benigniore vidit umquam lumine,  
 31 Caper, Capella caelitum beatior ?

C4\_3 v.1 Caper, capellis ire dux ad pascua  
 2 suetus, quid aegros ultimus trahis pedes ?  
 3 Tu primus alta montium cacumina,  
 4 cum Sol quadrigis aureis portat diem,  
 5 primus reposta vallium cubilia,  
 6 quo fons loquace limpidus Lympha vocat,  
 7 primus petebas nocte cum prima domum  
 8 magnis capellas antecedens passibus :  
 9 nunc maestus, aeger, ultimus prodis domo.  
 10 Caper miselle, num requiris candidam  
 11 Hyellam ? Et illa absente nec thyma dulcia,  
 12 nec umbra dulcis, nec tibi est dulcis liquor ?  
 13 Caper miselle ; Hyella bella est mortua :  
 14 luge, miselle ; bella Hyella est mortua ;  
 15 aliumque valle pascit Elysia gregem,  
 16 videtque puro lacte fontes currere,  
 17 auroque longe dulciore vescitur :  
 18 neque amplius redire, si velit, huc queat,  
 19 neque si queat, redire jam amplius velit.  
 20 At tu morere, dominamque vise trans Styga :

21 aut vive posthac omnium miserrimus,  
22 Caper miselle, omnium miserrime.

C4\_4 v.1 Adeste o Satyri, bonique Fauni, et  
2 quidquid capripedum est ubique divum ;  
3 mecum, numina sancta, lacrimate.  
4 Vestra mortua bella caprimulga est,  
5 illa candida bella caprimulga,  
6 quae vobis bona liba factitabat :  
7 quae dulcem mihi caseum premebat :  
8 quae tam carmina bella cantitabat.  
9 Tecum delicias, Hyella, ruris,  
10 tecum gaudia ruris abstulisti.  
11 Te formosulus hortus ille, quem tu  
12 laetum virginea manu rigabas ;  
13 te fons prosiliens specu e virenti,  
14 quem illo floridulo ore basiabas,  
15 te lugent nemora, atque vallis, in qua  
16 pascebas niveas tuas capellas ;  
17 nunc pictas Dryadis legens corollas,  
18 nunc dulci resonans avena in antro.  
19 At tu, si sapis, o puella Ditis,  
20 huic dato nitidas tuas capellas.  
21 Hac pascente, domum tuae capellae  
22 ferent ubera tentiora : lacque  
23 longe dulcius effluet papillis.  
24 Nullam rura tulere doctiorem  
25 aut miscere coagula, aut decoras  
26 molli texere fiscinas hibisco :  
27 aut per florida prata cum puellis  
28 choros ducere, obstupente pago.

C4\_5 v.1 Cur subito, fons, turbidule tuus humor abundat ?  
2 Dic age, lucidulam quis tibi turbat aquam ?  
3 Ah miser ! extinctae turbat te casus Hyellae :  
4 ipse tuis crescis, perditte, de lacrimis.  
5 Infelix ! Non jam tanges rosea illa labella :  
6 candida nec liquidis membra lavabis aquis :  
7 non fessam, atque tuo crepitanti murmure captam,  
8 aspicias somnos carpere languidulos ;  
9 dum niveas inter ludit lasciva papillas,  
10 et simul aureolam ventilat aura comam :  
11 ac leviter motans myrtos superimpedentes,  
12 spargit odoratos flore cadente sinus.  
13 Ut fulvum nitidumque aurum nitidissimus ipse  
14 ornat sidereo lumine chrysolithus :  
15 ut laurum decorat croceis hedera alba corymbis,  
16 nectens formosis brachia brachiolis ;  
17 sic formosa tuas lymphas decorabat imago,  
18 se vitreo quoties viderat illa lacu.  
19 Tunc, o frigidule, blando urebaris amore :  
20 vos liquidae melius tunc nituistis aquae.

21 O quoties, dulci cum vos libaverat ore,  
 22 facta est Hyblaeis dulcior unda favis !  
 23 O quoties vestros requievit carmine cursus,  
 24 cum modulans calamis luderet imparibus !  
 25 Nunc te, sancta Pales, nunc te, Latonia virgo,  
 26 nunc referens laudes, Pan Tegeaeae, tuas.  
 27 Illa canit : tremula respondent voce capellae,  
 28 saltat et oblitis haedulus uberibus.  
 29 At circum volitans pictis avium chorus alis  
 30 discit, et arguto gutture cuncta iterat.  
 31 Mirantur Satyri, Nymphae mirantur et ipsae,  
 32 et Faunus ramis abditus arbuteis.  
 33 Ipse etiam vocemque, et formosissima mirans  
 34 ora, suas in se vertit Amor faculas.  
 35 Ardet Amor, pulchrisque genis, roseisque labellis  
 36 incubat, ut myrti floridae avis foliis,  
 37 quae Solem dulci nascentem voce salutat,  
 38 et patulo rorem lucidulum ore bibit.  
 39 Sic Amor ore haurit dulcem dominae halitum hiulco,  
 40 carmina sic avida candidus aure bibit.  
 41 Talia populeis Minci cantabat in umbris,  
 42 dum pascit niveas pulchra Amaryllis oves.  
 43 Talia cantabas viridi, Galatea, sub antro,  
 44 formosi recubans Acidis in gremio.  
 45 Cantabas : puer impatiens saepe intermixtis  
 46 mollia rumpebat carmina basiolis.  
 47 Ah miser, ah male caute puer ! Tua gaudia Cyclops  
 48 in nebulas jam jam dissipat aerias.  
 49 Ille tuae demens correptus amore puellae,  
 50 ah miserum infando perdidit exitio !  
 51 Fleverunt nemora, et fontes, et Oreades altis  
 52 montibus, et magni candida turba maris :  
 53 ipsa comas Galatea scidit, maestoque ululatu  
 54 implevit scopulos, caerulea Dori, tuos ;  
 55 optavitque mori subito potuisse, suisque  
 56 amissis lucem relinquere deliciis.  
 57 Non illam sociae longo post tempore Nymphae  
 58 viderunt laetis ferre pedem choreis ;  
 59 non thalamo picta palla procedere, cinctam  
 60 candida puniceis tempora coraliis.  
 61 Illa vel undisoni pelagi latet abdita fundo,  
 62 vel repetit furtis litora nota suis.  
 63 Hic fletum misera ingeminat, fletu omnia complet,  
 64 et verti in fluidas tota cupit lacrimas.  
 65 Hic miserum querulis compellat vocibus Acin :  
 66 antra sonant Acin, caeruleae Acin aquae.  
 67 Tu quoque, fons miserande, tuae post dura puellae  
 68 fata, tuis numquam pone modum lacrimis.  
 69 Quis tibi nunc texet viridanti umbracula myrto ?  
 70 Quis sepem tremulis texet arundinibus ?  
 71 Quis sparget niveis onerata canistra hyacinthis,  
 72 pictaque purpureisserta papaveribus ?  
 73 Luge igitur miser, et confracta turbidus urna  
 74 semper cresce novis, fons bone, lacrimulis.  
 75 Cumque tumens ripa exieris vagus, haud pete florem  
 76 ridentis calthae, puniceamve rosam,

77 sed nigras violas, et caeruleos hyacinthos :  
 78 ipsa bibat maestam maesta cupressus aquam.  
 79 Quod si pulchra puella lavatum huc venerit ulla,  
 80 candida seu Nais, candida sive Dryas,  
 81 dic lacrimans : "Ne me, quaeso, pulcherrima, tange,  
 82 neve meis corpus commacula lacrimis.  
 83 Hae lymphae non sunt lymphae, sed flebilis humor,  
 84 quem carae dominae mittimus inferias".

C4\_6 v.1 Sic tibi perpetuam donet Pomona juventam,  
 2 hortule ; dic, tanti quae tibi causa mali ?  
 3 Ille tuus decor in tenues evanuit auras,  
 4 ut riget informi cum fera bruma gelu.  
 5 Non rosa formosum calathi jam pandit honorem,  
 6 non violae ridet purpura lucidulae.  
 7 Aruit ille suo viridi cum gramine rivus,  
 8 Daedala nec dulci voce susurrat apis.  
 9 Quaeque decora albis canebat floribus, ipsa  
 10 ponit odoratas citria silva comas.  
 11 Ah nivei subito cur nigrescunt hyacinthi ?  
 12 Atque notis implent flebilibus folia ?  
 13 Cur vivax apium moritur, croceumque papaver ?  
 14 Et panace fuis roscida lacrimulis ?  
 15 Hortule, num lugens fatum infelicis Hyellae,  
 16 et piget extinctam vivere post dominam ?  
 17 Illa quidem fuerat vivens tibi causa decoris :  
 18 illa tibi moriens abstulit omne decus.

C4\_7 v.1 Cum pater invitum Nisae sociasset Iolam,  
 2 venissetque viri jam nova nupta domum,  
 3 non potuit tantos pulcherrima Hyella dolores  
 4 ferre, nec erepto vivere conjugio.  
 5 Sed veluti flos virgineo decerptus ab ungue,  
 6 cum vita dulcis tabuit ille decor.  
 7 Tabuit ille decor, quo nil formosius ulla  
 8 aetas, nil umquam vidit amabilius.  
 9 Occidis, infelix, primo sub flore juventae :  
 10 occidis, heu nullo tempore digna mori !  
 11 Sed tua fama superstes erit ; quotiesque viator  
 12 praeteriens tumulum viderit, et titulum,  
 13 ille tuo lecto suspirans nomine dicet :  
 14 pulchrior in terris nulla puella fuit.

C4\_8 v.1 Cum pulchra infelicem animam exhalaret Hyella,  
 2 talia cum multis dicta dedit lacrimis :  
 3 Duritia, formose puer, mihi durior ipsa,  
 4 idem luce mihi carior, atque anima :  
 5 tu licet ipse meam crudeli morte juventam  
 6 crudelis lympham miseris ad Stygiam,  
 7 non tamen ulla mihi vis carum nomen Iolae

- 8           obliviscenti deleat ex animo.  
9           Seu Cytherea meam campis lugentibus umbram  
10          sistet, seu campis sistet in Elysiis,  
11          semper ero memor ipsa tui, quamvis laticem omnem  
12          Lethaeum aridulis faucibus ebiberem.  
13          At tu, care puer, pro tanto gratus amore,  
14          transibis quoties heu miseros cineres,  
15          dic lacrimans : Heu cara puella, malus tibi vitam  
16          abstulit, et diro funere mersit amans.  
17          Ah nunc saltem in morte quiescas : hoc tibi Iolae,  
18          qui potuit miseram perdere, mandat amor.
- C4\_9       v.1       Quisquis es, opiliove bonus, bona vel caprimulga,  
2                siste gregem, et sacro munera fer cineri :  
3                da violas tumulo ; fundat dulcissima vina  
4                cantharus, et tepido lacte madescat humus.  
5                Dehinc lacrimans sic fare : cinis carissime nobis,  
6                nunc cinis, ast olim candida Hyella, vale.
- C4\_10     v.1       Sic Pan bicornis, et Pales vitam tuam,  
2                tuumque sospitent gregem,  
3                parum resiste, pastor, et pictis sacrum  
4                lapidem corona floribus.  
5                Hic est Hyella, qua nec ulla pulchrior  
6                pavit capellas femina,  
7                nec pastor ullus garrulam umquam fistulam  
8                inflavit ore dulcius.  
9                Nondum misella terna lustra clauserat,  
10              cum vidit ultimum diem.  
11              Ut flos apricus, terra quem mater suo  
12              dulci educabat in sinu,  
13              tunc primum hiare coeperat, cum tabuit  
14              calore tactus fervido ;  
15              sic pulchram Hyellam flore sub primo impotens  
16              amoris aestus perdidit.  
17              At tu, viator, sic faveat Amor tibi,  
18              precare terram ut pulveri  
19              sacro puellae sit levis : dehinc floribus  
20              hanc spargito ; et felix abi.
- C4\_11     v.1       Pastores, teneras procul hinc arcete capellas,  
2                et sacram nigris spargite humum violis.  
3                Neu veteris bacchi, neu dulcis copia lactis,  
4                neu desit numeris tibia flebilibus.  
5                Hic bona Hyella jacet, pecoris formosa magistra,  
6                junctaque cum domina fida capella sua,  
7                illam saevus amor nimium infelicis Iolae  
8                perdidit : hanc carae perdit amor dominae.  
9                Nam simul exhalantem animam conspexit Hyellam,  
10              ipsius ante pedes concidit exanima.

- 11 Fortunata capella ! Polo fulgere supremo  
 12 dignior, Icariae quam canis Erigones :  
 13 si tua magna fides dominae comes ire sub umbras  
 14 audet, et ante diem reddere dulcem animam,  
 15 at florens tua fama viget, semperque vigebit  
 16 exemplum sanctae maximum amicitiae,  
 17 dum silva gaudebit aper, dum monte capella,  
 18 dum patulis ulmi decidet umbra comis.
- C4\_12 v.1 Deliciae ruris cum pulchra periret Hyella,  
 2 cum domina periit fida capella sua.  
 3 Non ipsam violenta lues, non aspera febris,  
 4 sed dominae subita morte peremit amor.  
 5 I nunc, et Pyladas, et amoris nomine Orestas,  
 6 et jacta fidos, Graecia, Pirithoos.
- C4\_13 v.1 Cum misera ante diem fida comitata capella,  
 2 iret ad infernas candida Hyella domos,  
 3 ille malus saevis redimitus colla colubris  
 4 Cerberus, invisas qui cubat ante fores,  
 5 non pavidam horribili tremefecit voce puellam,  
 6 nec rabidis illam dentibus appetiit :  
 7 sed tremulo blandae gannitu vocis adulans,  
 8 et lingua lambens crura pedesque fera,  
 9 aetherias voluisset eam remeare sub auras,  
 10 et tam formosae virginis ire comes :  
 11 quique tot heroum magnas latraverat umbras,  
 12 optavit parvi nunc gregis esse canis.
- C4\_14 v.1 Cum nemorum decus, et culti solatia ruris  
 2 venit ad Elysias candida Hyella domos,  
 3 obstupere omnes, fixoque in virgine vultu,  
 4 spectabat pro se quisque oculis avidis  
 5 ardentes oculos, surasque, humerosque nitentes,  
 6 brachiaque, et flavas per rosea ora comas.  
 7 Atque aliquis juratus ait : Non pulchrior umquam  
 8 venit ad Elysios ulla puella choros.
- C4\_15 v.1 Hanc fistulam, hospes, quam vides pinu sacra  
 2 pendere, Pani Hyella posuit maximo,  
 3 cum jam misella Solis aureum jubar  
 4 linquens, beatos ferret ad manes suum.  
 5 Hac illa pulchra fistula cum luderet  
 6 Nymphas canens, et furta earum dulcia,  
 7 non aura laetis insonabat frondibus,  
 8 non murmurantes obstrepebant rivuli,  
 9 non picta garrulo avis canebat gutture.  
 10 Quin ipse dulci carminum captus sono



11 inter greges jacebat innocens lupus.  
 12 Himella florida, et Taburne pinifer  
 13 tu testis ; ipse es saepe miratus tuas  
 14 motare pinus horridas cacumina.  
 15 Tunc fistula haec beatior calamis fuit,  
 16 quicumque labra docta pastorum terunt.  
 17 At nunc misella fistula aut semper tacet,  
 18 aut si loquaci ventus illam sibilo  
 19 inflavit, usque flebiles edit sonos,  
 20 acerba dominae fata deplorans suae,  
 21 et ore caro basiari expetens.  
 22 Quo nulla pulchrius, neque umquam dulcius  
 23 puella gessit os, neque ulla umquam geret.

C4\_16 v.1 Quod nulla nec formosior, nec fistulam  
 2 inflare dulcem doctior, niveos greges  
 3 umquam Taburni pavit inter horrida  
 4 Pineta, pastores tuis hunc manibus  
 5 dicant, Hyella, lucum opacum, et hos duos  
 6 fontes amoenos, qui levi cum murmure  
 7 e rupe muscosa alter, alter e specu  
 8 pendente decidunt. At in medio jacens  
 9 tua ossa fictilis urna habet, opulentior  
 10 quam dives Hermus, undaque aurifera Tagi.  
 11 Hanc nos quotannis, cum Favoni candida  
 12 fert aura ver insigne floreis comis,  
 13 dulci lyaeo, et lacte, et agni sanguine  
 14 rigabimus : tum virgines circum integrae  
 15 ducent choreas, et tuas laudes canent.  
 16 Hyella mons, Hyella vallis garrula  
 17 sonabit, et cum Sol diem face aurea  
 18 illustrat, et cum nox polum umbra condidit.  
 19 At magnus Alcon fistula, quam capripes  
 20 illi dedit Pan, triste carmen ordiens  
 21 narrabit, ut te crinibus passis deae  
 22 Oreades defleverint, cum pallidum  
 23 videre vultum ; ut arborum tonsis comis  
 24 te silva maesta luxerit, te limpidi  
 25 fontes, Hyella, te Taburni horridae  
 26 flevere cautes ; caerula se condidit  
 27 Sol nube, dira ne videret funera.  
 28 Quin saevus ille lacrimis mortalium  
 29 gaudens Cupido flexilem arcum, et igneas  
 30 fregit sagittas. Quantum hiems gelu aspero  
 31 concreta Veri floreo cedit, rubus  
 32 quantum virenti acantho, agris tantum omnibus  
 33 tibi puellae cesserant. Ut ramulis  
 34 in valle myrtus avia nitentibus  
 35 crescit, quam amico rore fontis educant  
 36 Nymphae decentes ; sic amabilis tua  
 37 juvena surgens enitebat : nec rosa  
 38 rubente mane lucidum calathi sui  
 39 pandens honorem est pulchrior, nec pulchrior  
 40 Aurora, croceo cum gerit diem sinu

41 coma refulgens aurea. Quis simplices  
 42 mores, et artes Cypria dignas dea  
 43 aequare possit laudibus ? Seu fiscinam  
 44 virente hibisco texeres, formosius  
 45 jurabat esse nil Pales : seu duceres  
 46 choros sub altis arborum comantium  
 47 ramis, Napaeae candidae, et Phoebi soror  
 48 stabant stupentes : seu levi nemorum deos  
 49 calamo canebas, silva dulci carmine  
 50 gaudebat, ipse Maenalus quantum sui  
 51 Fauni sonora fistula. Salve o bona  
 52 Hyella, salve, et montibus nostris ades.  
 53 Tu Pana maximum, et sorores Naidas  
 54 pastoribus, beata, concilia tuis :  
 55 morbosque lacrimabiles precibus piis  
 56 averte, lucum et vise saepius tuum.

C4\_17 v.1 Dum te flebilibus numeris moriturus Iolas  
 2 cantat, ades vati, candida Hyella, tuo.  
 3 Tale mea carmen moduler tibi arundine, quale  
 4 deficiens dulci gutture cantat olor ;  
 5 ut tua pastorum volitet vaga fama per ora,  
 6 dum laetas segetes pingua rura dabunt,  
 7 dum flores apis, et rivos dum gramen amabit,  
 8 dum metuet celerem tarda capella lupum.  
 9 Digna quidem fueras quam maximus ille Menalcas  
 10 diceret argutis semper arundinibus ;  
 11 et quam posthabita Neptunine Galatea  
 12 cantaret Siculi clara Thalia senis.  
 13 Et facerent, si te natam felicibus annis  
 14 vidissent oculis, candida Nympha, meis.  
 15 Te juga Parnassi resonarent, te juga Pindi :  
 16 notior Arcadiae nulla puella foret.  
 17 Per nemora, et silvas incisum cortice laevi  
 18 mille tuum nomen viveret arboribus.  
 19 Tu quoque par esses Amphionio Aracyntho,  
 20 et par Maenaliis, care Taburne, jugis.  
 21 Magne pater, tali fortunatissime alumna,  
 22 tu viridi servas ossa beata sinu :  
 23 at misera ante diem crudeli funere rapta  
 24 ivit ad infernas non reditura domos.  
 25 O mihi Threiciam citharam si Musa dedisset,  
 26 quae potuit silvas ducere montivagas,  
 27 per tenebras Orci, per pallida regna silentum  
 28 quaesissem manes, cara puella, tuos :  
 29 nec me tergemino terreret Cerberus ore,  
 30 nec torvae anguineis crinibus Eumenides.  
 31 Vel mecum vitae repetisses lumina, vel me  
 32 obrueret Stygio mors violenta lacu.  
 33 Sed citharae si nil prodessent fila canorae,  
 34 movissem fletu numina dura pio.  
 35 Vidissent umbrae tenues regemque superbum,  
 36 Tisiphonemque malis illacrimare meis.  
 37 Sit licet ille fero crudelior angue tyrannus,

38 non vacuum blandi pectus amoris habet.  
 39 Ipsum etiam, qui cuncta domat, Cythereius ales  
 40 vicit, et invito lenia corda dedit,  
 41 tempore quo magnae Cereris pulcherrima nata  
 42 ad nigras Erebi candida venit aquas.  
 43 Illa quidem caris Nymphis comitata legebat  
 44 purpureos flores saltibus, Enna, tuis,  
 45 jamque parans in lucidulo se fonte lavare,  
 46 traxerat e niveo mollia vincla pede,  
 47 cum pavidam, et matrem queribunda voce vocantem  
 48 abstulit infernis luridus Orcus equis,  
 49 nec veritus natam Jovis est violare supremi ;  
 50 tantum forma potest, et violentus amor.  
 51 Cur igitur caram mihi non donaret Hyellam ?  
 52 Cur lacrimis flecti nollet amantis amans ?  
 53 O qui pallentes Erebi me ducat ad umbras,  
 54 et genibus sistat me, pater Orce, tuis !  
 55 O quales tibi manarent mea lumina fletus !  
 56 Funderet o quantas lingua diserta preces !  
 57 Me certe facerent pietasque, dolorque disertum :  
 58 verba ministraret dulcia dulcis Amor.  
 59 Quid loquor infelix ? Nulla est revocabilis arte,  
 60 cum semel extincto lumine vita fugit.  
 61 Non revocat Syringa suam Pan magnus ad auras,  
 62 non Phoebus revocat te, Cyparisse, tuus.  
 63 Ipse foret quamvis Cybele gratissimus Attis,  
 64 liquerat infernas non tamen Attis aquas.  
 65 Ah quoties nato mater Berecynthia dixit :  
 66 per lac quod dederunt ubera nostra tibi,  
 67 perque uteri tolerata decem fastidia menses,  
 68 redde oro puerum, Dis, mihi, care, meum.  
 69 Non ego, felices superum translatus in oras  
 70 Tithoni vivat saecula longa, peto.  
 71 Aurorae liceat carum servare maritum,  
 72 aequalemque deis reddere caelitibus.  
 73 At mihi cum paucos Attis serviverit annos,  
 74 ad tenebras redeat flebilis umbra tuas.  
 75 Nunc pia templa colens divis operetur, et omnes  
 76 per populos ritus, et mea sacra ferat.  
 77 Dulcia purpureae nunc carpat dona juventae,  
 78 nunc decoret silvas candida forma meas.  
 79 An magnum est, animam si de tot millibus unam  
 80 des matri, vitam quae dedit ipsa tibi ?  
 81 Sic lacrimans ait : Ille suis immanior umbris  
 82 maternas dura respuit aure preces.  
 83 Vix licuit miserae manes descendere ad imos,  
 84 atque umbrae dulci basia vana dare.  
 85 Crudelis Pluto, nimium crudelia fata,  
 86 quae vitae nullas heu posuere moras !  
 87 Cum silvam glacialis hiems spoliavit honore,  
 88 vere novo silvae laeta juventa redit :  
 89 occidit Oceani cum Sol demersus in undas,  
 90 nascitur abducto pulchrior ille die :  
 91 at nobis nec laeta suo cum vere juventa,  
 92 nec mersa immiti funere vita redit.  
 93 Ultima cum Parcae legerunt fila severae,

- 94           urget perpetuus lumina clausa sopor.  
 95       Quem tamen aeterno celebrarint carmine Musae,  
 96           ille vel invita morte superstes erit.  
 97       Sic vivis, vivesque aeternum, pulcher Alexi ;  
 98           et tu cum Gallo nota Lycori tuo.  
 99       Pan, nemorum decus, et Satyri, Nymphaeque decentes,  
 100           quae blando agrestes uritis igne deos,  
 101       si formosa pie coluit vos semper Hyella,  
 102           si mea vos semper dulcis avena canit,  
 103       vos facite, ut longum vivant mea carmina in aevum,  
 104           et cum carminibus candida Hyella meis.
- C4\_18   v.1       Has lacrimas, atque haec imo suspiria corde  
           2           tracta gemens libo, candida Hyella, tibi.  
           3       Haec tibi nunc, mox vitam ipsam libabo, animamque,  
           4           cumque tuis miscebo ossibus ossa mea.  
           5       Quosque maritali non junxit taeda Hymenaeus,  
           6           funerea junget Mors violenta face.  
           7       Quod si nupta meum conscendit Nisa cubile,  
           8           non tamen unquam animum ceperat illa meum :  
           9       sed mea me pietas patri parere coegit  
 10           impia, me durus perdidit ipse pater.  
 11       Si fallo, haud ambo terra tumulemur in una,  
 12           nec tua sit felix manibus umbra meis.
- C4\_19   v.1       Cur, ah cur ullo placui tibi tempore mortis  
           2           si, mea vita, tibi causa futurus eram ?  
           3       Cur me tam pulchrum cari genuere parentes ?  
           4           Cur calamos dono Pan dedit ipse suos  
           5       queis ego formosas possem mollire puellas  
           6           cantando, et duris lenia corda dare ?  
           7       Quid formam queror, aut calamos nocuisse canoros ?  
           8           Perfidia periit cara puella mea.  
           9       Ah!ne meis potui thalamis admittere Nisam ?  
 10           Vimne preces duri tantam habuere patris ?  
 11       Fugissem durumque patrem, patriamque, priusque  
 12           fudissem multo sanguine dulcem animam.  
 13       Sed fundam, poenasque dabo tibi, candida Hyella :  
 14           o cari manes, o, precor, este boni.  
 15       Vos puerum vestra linquentem lumina causa  
 16           optatum laeti suscipite in gremium.  
 17       Et qui me nimio sponsum cupiistis amore,  
 18           jungite nunc dulcis gaudia conjugii.  
 19       Sancta, veni, nostrisque fave, Proserpina, taedis ;  
 20           fausta que purpureus carmina cantet Hymen :  
 21       quique olim valida conjunxit utrumque catena,  
 22           vivat in Elysia valle perennis amor.
- C4\_20   v.1       Pan pater, et veneranda Pales, Faunisque valete,  
           2           tuque mihi quondam care Taburne vale :

3 vos mihi vos misero, silvae, placuistis, opacae,  
 4 dum niveum in vobis pavit Hyella gregem,  
 5 et mecum tenera furtim ludebat in herba  
 6 ludere cum magno digna puella Jove.  
 7 Tunc mihi purpureo fulserunt lumine soles,  
 8 tunc fuit heu nimium candida vita mea.  
 9 Nunc nemora, et fontes, et caeli lumen, et umbrae,  
 10 nunc ingrata meis omnia sunt oculis.  
 11 Mors mihi sola placet : mors o dulcissima rerum,  
 12 huc ades, et vitam, mors bona, redde mihi.  
 13 Illa meam vitam rupes habet, illa sepulcro  
 14 servat delicias terra beata meas.  
 15 Pastores, illa dominae me jungite in urna,  
 16 taliaque inscriptis addite verba notis :  
 17 formosam tuus ardor, Iola, absumpsit Hyellam :  
 18 te miserum leto perdidit illa suo.

C4\_21 v.1 Ingrate Sol, ortum quid approperas tuum ?  
 2 Quo lux mihi, si luce non datur frui ?  
 3 Redisne, grex ut redeat in silvam meus ?  
 4 At hunc Hyellae mors acerba perdidit.  
 5 Redis, magis, magisque tabescam ut miser ?  
 6 Et te fatigem questibus semper novis,  
 7 dominae revisens pulverem sacrum meae ?  
 8 An tu quadrigas aureas tuas refers,  
 9 ut luminibus aliquam afferas lucem meis ?  
 10 At illa lacrimis, tenebrisque horridis  
 11 assueta lucem odere, nec radiis tuis  
 12 imbres suos siccari amant, quibus genas  
 13 rigant, et ora amoris usta incendio.  
 14 Sed fulgeas licebit, et radiantibus  
 15 terras, maria, caelumque lustres ignibus,  
 16 tamen omnia tenebris inhorrescunt mihi,  
 17 ex quo meus Sol mihi suam lucem abstulit,  
 18 deisque manibus occidens eam tulit.

C4\_22 v.1 Formosa myrte, roscido imminens antro,  
 2 antrum loquaci suave murmurans fonte ;  
 3 fons care, fletu facte amare de nostro ;  
 4 o quam beate viximus, quoad vixit  
 5 Hyella vestra ! Quoad puella formosa  
 6 mecum jacere ista solebat in ripa !  
 7 Hic illa cum meo in sinu recumbebat,  
 8 mihique in aurem ludibunda cantabat,  
 9 tunc, tunc beatam viximus deum vitam ;  
 10 tunc invidebat ipse Juppiter nobis.  
 11 Nunc quis miserius Solis aspicit lucem ?  
 12 Quem saeviore Tartarus premit poena ?  
 13 Seu vestit alma luce Sol agros, seu nox  
 14 placida rigat gratis soporibus terras,  
 15 numquam remittit anxius dolor, numquam  
 16 meos ocellos recreat quies dulcis.

17 Ut pinguem olivam lentus ignis absumit,  
 18 sic cor misellum est cura saeva, maerorque.  
 19 Quo dulcis abiit, hei mihi, decor vultus ?  
 20 Quo niveus ille purpura color pictus ;  
 21 Hyella quem suo anteire jurabat ?  
 22 Jam lacrimae exsanguis genas peredere,  
 23 modis et ora pallor inficit miris ;  
 24 et illa pulchrior hyacinthino flore  
 25 inculta, squalens, hispidula coma horrescit.  
 26 Miser, ah miser Iola, tamen mori cessas ?  
 27 Vitae, ac dolori pone jam, miser, finem,  
 28 et illa vise regna quae colunt sancti  
 29 Manes, ubi beata degitur vita  
 30 sub arborum semper virentium ramis,  
 31 queis insusurrat dulce frigerans aura,  
 32 quam Tethyos circumfluae parit lympa ;  
 33 at ipsa passim lucidos parit flores,  
 34 quos lacte puro candidi educant rivi.  
 35 Illic puellae dulcibus jocis noctem,  
 36 diemque cum suis amantibus ducunt,  
 37 croceis amictae carbasis, pedes nudae,  
 38 omnesque ramis myrteis coronatae.  
 39 Semper choreis, cantibusque jucundis,  
 40 semper cachinnis tinnulis sonant silvae.  
 41 Has nec protervus Auster imbribus foetus,  
 42 nec cana nix, nec aestus impotens tangit.  
 43 Sed Ver beatas semper incolit sedes,  
 44 flavas corollis mollibus comas cinctum,  
 45 laetosque Flora cum sua choros ducit,  
 46 ningens rosarum suave olentibus nimbis.  
 47 Huc te vocat puella maximis votis,  
 48 tuasque lentas increpat moras saepe.  
 49 Valete silvae, tuque fons mihi care  
 50 vale, vale antrum, myrte floridula salve.  
 51 Moritur Iolas ille notus in silvis,  
 52 peritus ore, fistulaque cantare ;  
 53 moritur, suoque vos cruore respergit,  
 54 qui lacteo vos ante rore spargebat,  
 55 qui vos amoenis floribus coronabat,  
 56 docens Hyellam vos sonare formosam.  
 57 At tu puella luce carior cara,  
 58 qua mortua misero mihi mori est dulce,  
 59 ades, tuisque manibus meos manes  
 60 amore junge, Hyella candida, aeterno.

C4\_23 v.1 Hos calamos, Pan silvipotens, tibi pulcher Iolas ;  
 2 saepe quibus cecinit dulcia furta tua,  
 3 dum Cytherea potens, et cara sinebat Hyella ;  
 4 quae postquam dira tabe peresa jacet,  
 5 pro dulci Musa, pro carminibus jucundis,  
 6 flebilibus complet vocibus ille nemus,  
 7 et dominam cupiens imas invisere ad umbras,  
 8 non somnos oculis, non capit ore cibum.  
 9 At tu fortunam pueri miseratus acerbam,

10           aeternos pietas si movet ulla deos,  
 11       aut misero tantos aufer, bone dive, dolores,  
 12           aut illum silvas transfer in Elysias.  
 13       Sed potius longum vivat formosus in aevum,  
 14           et cantet laudes semper, Hyella, tuas.  
 15       Dignior haud ullus talem celebrare puellam,  
 16           ulla nec est tali dignior ore cani.

C4\_24   v.1       Hanc laurum, formosa, tibi formosus Iolas  
           2           sevit, et hanc madidis irrigat usque genis.  
           3       Seu tenebras Vesper, seu lucem portat Eous,  
           4           et laurum lacrimis irrigat, et tumulum.  
           5       Hinc tumulus violas, et laurus protulit umbras :  
           6           umbrae isdem crescunt, et violae lacrimis.  
           7       Cumque umbris, violisque amor infelicis Iolae  
           8           crescit, cumque ipso crescit amore dolor.  
           9       Hic dolor heu miserum leto dabit : hic, bona Hyella,  
          10           mox pueri apponet ossibus ossa tuis.  
          11       Et quos felici conjunxit foedere quondam,  
          12           nunc infelici funere junget amor.

C4\_25   v.1       Haec, dulcissime Turriane, lusi  
           2       molli carmine, nec laborioso,  
           3       dum ver florida laetum agebat aetas,  
           4       quam jocus decet, ac leves cachinni.  
           5       Nunc Musas vocor ad severiores,  
           6       nunc rerum juvat explicare causas,  
           7       et caelum memorare, caelitesque,  
           8       et qui caelitibus praeest beatis.  
           9       O molles elegi, lyraeque dulces,  
          10       o et myrtea sarta, fistulaeque,  
          11       Faunisque, Dryadesque, jam valete,  
          12       et cum frondiferis, Hyella, silvis.  
          13       At tu, progenies Jovis supremi,  
          14       patris deliciae, deumque amores,  
          15       per quam magna canunt sacri poetae,  
          16       felix Uranie, mihi benigno  
          17       ades numine, supplicemque tolle  
          18       me tuo rutilante curru ad astra.

## LIBER QUINTUS

## Epistolas continens

## AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

C5\_1 v.1 Farnesi, pater omnium leporum,  
 2 hos tibi lepidissimos poetas  
 3 dono, tempora quos tulere nostra,  
 4 fortunata nimis, nimis beata  
 5 nostra tempora, quae suos Catullos,  
 6 Tibullos, et Horatios, suosque  
 7 Marones genuere. Quis putasset,  
 8 post tot saecula tam tenebricosa,  
 9 et tot Ausoniae graves ruinas,  
 10 tanta lumina tempore uno in una  
 11 tam brevi regione Transpadana  
 12 oriri potuisse ? Quae vel ipsa  
 13 sola, barbarie queant fugata  
 14 suum reddere literis Latinis  
 15 splendorem, veteremque dignitatem.  
 16 Salvete, o decus, o perennis aevi  
 17 nostri gloria, candidi poetae,  
 18 quos novem in tenero suo Sorores  
 19 nutrivere sinu, suoque digna  
 20 choro Castalio loqui dedere.  
 21 Vos, et carmina vestra sempiterno  
 22 urbes Italiae colent honore.  
 23 Vos et Gallus, Iberque bellicosus,  
 24 et Germania docta, Sarmataeque  
 25 mirabuntur, et ultimi Britanni ;  
 26 erit dum Latiis honor Camoenis.  
 27 Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe  
 28 vos discent populi, quibus redit lux  
 29 aurora exoriente, cum nigrescit  
 30 aer jam tenebris sub axe nostro ;  
 31 nam (mirabile dictu ! ) in iis quoque oris  
 32 nunc linguae studium viget Latinae.  
 33 At tu, floscule Romuli nepotum,  
 34 quem Phoebus pater, et Minerva doctis  
 35 certatim artibus expolire gaudent,  
 36 Alexander, habe tibi hunc libellum  
 37 venustum, lepidum ; tuasque laudes,  
 38 istis quae celebrantur a poetis,  
 39 aeternas fore scito ; nam manebit  
 40 aeterno aureolus libellus aevo.

AD UBALDINUM BANDINELLUM DE LIBERALITATE  
GUIDI ASCANII SFORTIAE CARDINALIS

C5\_2 v.1 Ubaldine, tuo sodali amate,  
 2 potest quantum ab amico amari amicus,



3 munus hoc mihi da, tui ut patroni  
 4 divini juvenis manum osculeris  
 5 meo nomine, maximasque grates  
 6 agas, quod decumas mihi quotannis  
 7 pro sua eximia benignitate  
 8 remittit, licet ipse nec salutem  
 9 eum more clientium bonorum,  
 10 nec quidquam faciam, queat quod ipsum  
 11 admonere, meam ut velit benigna  
 12 mente pauperiem juvare. Nempe hoc  
 13 Magnus Sfortiades movetur uno,  
 14 quod me nec putat improbum, nec esse  
 15 a Musis alienum, amore quarum  
 16 ardet maximo, ut omnium est amator  
 17 ardentissimus elegantiarum.  
 18 Quare cum nequeam invenire verba  
 19 infantissimus omnium poeta,  
 20 quae tantis meritis rependam ; amice  
 21 disertissime, quod supra rogavi,  
 22 id quaeso facito, tuique vive  
 23 semper Flaminii memor, valeque.

## AD LAELIUM TORELLUM

C5\_3 v.1 Quod me diligis, et soles libenter  
 2 adjuvare tuos, Torelle, amicos,  
 3 quid per te cupiam impetrare, dicam.  
 4 Est consanguineus mihi, peritus  
 5 legum, nec senio gravis, nec idem  
 6 admodum juvenis, disertus autem,  
 7 et forma egregia : ter ille jura  
 8 Galliae populis dedit Togatae,  
 9 cum praetor foret, optimamque famam  
 10 collegit sibi rem optime administrans.  
 11 Quod si nunc opera tua licebit  
 12 ipsi dicere jus in urbe vestra,  
 13 et me perpetuo tibi obligaris,  
 14 et tua pariter benignitate  
 15 rem dignam facies, facillimamque  
 16 illam mehercule ; quando consecutus  
 17 id virtutibus es tuis, ut amplum  
 18 jampridem imperium tibi regendum  
 19 Cosmus tradiderit, decus perenne  
 20 Cosmus Tusciae, et omnium Italorum ;  
 21 quo regnante fides, bonique mores,  
 22 et doctae rediere Musae ad Arnun.

## AD HIERONYMUM TURRIANUM DE MORTE VICTORIAE COLUMNAE

C5\_4 v.1 Cur desiderio modum, et dolori  
 2 me vis ponere, Turriane ? Acerbo  
 3 cui Victoria fato adempta, quae me  
 4 non minus quam oculos suos amabat :  
 5 qua nihil veniens ab ultimo Indo

6 clarius, meliusve Sol videbat :  
 7 cui mens candida, candidique mores,  
 8 virtus vivida, comitasque sancta,  
 9 caeleste ingenium, eruditioque  
 10 rara, nectare dulciora verba,  
 11 summa nobilitas, decora vultus  
 12 majestas, opulenta, sed bonorum  
 13 et res, et domus usque aperta ad usus.  
 14 Illa carminibus suis poetas,  
 15 quotquot saecula multa protulerunt,  
 16 longe vicerat ; illa vincit omnes,  
 17 sive flebilibus modis maritum  
 18 extinctum decorans sepulcro ab imo  
 19 summa ducit in astra, sive regi  
 20 caelitem, Unigenaeve Regis hymnos  
 21 filio canit : illa vel canendo  
 22 ventos sistere, fluminum morari  
 23 impetus, poteratque leniores  
 24 tigres reddere mitibus columbis.  
 25 At tu, surdior Hadriae procellis,  
 26 immitissima Mors, manum rapacem  
 27 illi es injicere ausa : Mors acerba,  
 28 tu Solem Italiae suum abstulisti.  
 29 Sed nil proficis ; en meae Columnae  
 30 fama sidere clarior refulget ;  
 31 en Victoria, caelitem beata  
 32 vita nunc potitur, vagique Solis  
 33 sub se lumina cernit, ipsa Sole  
 34 multo splendidiorque, pulchriorque.  
 35 Ergo flebilibus modum querelis  
 36 jam jam, candide Turriane, pono,  
 37 ne plorem mihi inique amicus illam  
 38 quae laeto celebranda versu, et ipsi  
 39 addenda est numero beata divum.

AD GREGORIUM CORTESIUM CARDINALEM

C5\_5 v.1 Cortesi venerande, si quid umquam  
 2 incensae officio rogationes  
 3 apud te valuere, ne recusa  
 4 gregi adscribere candido tuorum  
 5 Robertum, unanimem meum sodalem,  
 6 florentem ingenio, fide, pudore,  
 7 et Graece optime, et optime Latine  
 8 scientem, juvenem pium, elegantem,  
 9 seu juncto pede, seu velis soluto  
 10 doctum scribere, tam tui colentem,  
 11 quam qui maxime, et omnium bonorum  
 12 dignum amicitia. Ergo, mi patrone  
 13 magne, quod petimus, sine impetrare.  
 14 Sic tibi Deus optimus senectam  
 15 concedat viridem, diuque laetum  
 16 servet ; sic homines tuae supremae  
 17 virtuti tribuant pares honores.

## AD STEPHANUM SAULIUM

C5\_6 v.1 Candidissime Gratiarum alumne,  
 2 ne carus tibi sim, nec ulla signa  
 3 amoris mihi mutui rependas,  
 4 ni te plus amo, quam solet tenella  
 5 unicam genitrix amare natam.  
 6 Nec mirum ; quid enim potest amore  
 7 tuo dulcius esse ? Vel quis ullo  
 8 fuit tempore dignus aequae amari ?  
 9 Honores alius sequatur, auri  
 10 acervum cumulet nitentis : ipse  
 11 sim beator omnibus beatis,  
 12 annuant modo caelites, ut una  
 13 tecum vivere, tecum obire possim,  
 14 jucundissime Sauli, honore, et auro,  
 15 et cara mihi carior salute.

## AD ULYSSEM BASSIANUM

C5\_7 v.1 Ulyssi, mea Musa, dic salutem,  
 2 non illi dea quem Calypso amavit,  
 3 sed quem Pierides amant amore  
 4 quo jam tum lepidum Catullum amabant,  
 5 cum tenellulus Aonas petivit  
 6 montes, et meditans opaco in antro  
 7 mentes virginei chori tenebat.  
 8 Dic incredibili ipsius videndi  
 9 me desiderio peruri, acerba  
 10 ut non acrius intimas medullas  
 11 mihi febris adurat. Ipse quando  
 12 viset languidulum ? Suaque dulci  
 13 me solabitur allocutione ?  
 14 Nec eum lupa nutriit, nec ursa,  
 15 sed comis pater, et puella mitis ;  
 16 cur ergo rigida aesculo, Hadriaeque  
 17 durior scopulis, meique morbi  
 18 tam securus abest ? An ille nondum  
 19 rescivit, mea lectulo cubare  
 20 membra torrida ? Sic profecto, sic est.  
 21 Quare dic juveni, Camoena, caro,  
 22 confestim veniat, fidesque secum  
 23 afferat. Volo leniat furentem  
 24 febrim, ut Orphea belluas, et iram  
 25 Cerberi, Eumenidasque saevientes  
 26 mollivisse ferunt lyra canendo.

## AD GALEATIUM FLORIMONTIUM PHILALETHEM

C5\_8 v.1 Huc ades, Galatee ; quid moraris ?  
 2 Est brevis via, saepiusque dicis,  
 3 cras ad vos veniam, boni sodales ;  
 4 nec venis tamen. An putas licere

5 amicis dare verba ? Nos pudendum,  
6 et contra officium, tuoque bello  
7 id cognomine prorsus arbitramur  
8 indignum. Hoc nisi vis inepte abuti,  
9 huc ades, Galatee, quid moraris ?  
10 Remiges Ithaci vagantis olim  
11 lotos detinuit Libyssa in ora,  
12 ut mulctralibus haeret usque et usque  
13 musca lactis amore : te, beate  
14 senex, quae retinet domi voluptas ?  
15 Ecquid delicias tuae Suessae  
16 praefers deliciis meae Casertae ?  
17 Deliras, Galatee, nam Suessa  
18 longe pulchrior est amoeniorque  
19 Campanae regionis hic ocellus ;  
20 quem Jocis comitata, Gratiisque  
21 Venus, posthabita Cnido, Paphoque,  
22 semper incolit, et suos amores,  
23 suas delicias fatetur. Ergo  
24 huc ades, Galatee, quid moraris ?  
25 Hic sol splendidius nitet, Favoni  
26 spirat mollius aura, suaviorem  
27 fert rosam, et violam benigna tellus :  
28 hic est dulcior uva, dulciores  
29 ficus, et pepones : oliva bacas  
30 non solum patriae tuae, sed ipsum  
31 venafrum superare gaudet. Ergo  
32 huc ades, Galatee, quid moraris ?  
33 Ecce caseolos tibi recentes,  
34 atque haedos geminos Hyella donat,  
35 formosissima caprimulga, Pani  
36 non impar caprimulga, sive cantat,  
37 seu levi calamo terit labellum.  
38 Huc ades, Galatee, quid moraris ?  
39 En hospes meus, optimus Caserta,  
40 quo Campania terra gloriatur,  
41 jam desiderium tui morantis  
42 nequit ferre ; puella sic amantem  
43 votis, ominibusque, lacrimisque  
44 absentem vocat. Ah tuum Casertam  
45 ne, quaeso, cruciare perge. Sed jam  
46 huc ades, Galatee, quid moraris ?  
47 Is quidem impatiens morae molestae  
48 ad te jam properasset, aegra membra  
49 ni vis debilitaret ipsa morbi :  
50 et tu tam diu abesse sustinebis ?  
51 Qui sola potes allocutione  
52 febrim pellere candido sodali.  
53 Huc ades, Galatee, quid moraris ?  
54 Non Phoebus, mihi crede, filiusve  
55 Phoebi cantibus hunc levarit, herbis  
56 aut salubribus, aequae ut ipse vultu  
57 jucundo, et lepida dicacitate.  
58 Ergo si tibi cura cari amici est,  
59 huc ades, Galatee, quid moraris ?  
60 Te vocat domus ipsa, quam solebas

61 jocis, et salibus, facetiisque  
 62 tuis exhilarare : te loquaces  
 63 lymphae, te vocat hortulus venustus,  
 64 tuae tam memor irrigationis,  
 65 quam lactis memor est tenellus infans.  
 66 Huc ades, Galatee, quid moraris ?  
 67 Non pandunt nitidae rosae per agrum  
 68 formosos calathos, hiare tardant  
 69 flores luteolique, caerulique, et  
 70 albi, et purpurei ; suos honores  
 71 agellus tibi scilicet reservat.  
 72 Huc ades, Galatee, quid moraris ?  
 73 Si venis cito, carminum libellum  
 74 ostendam tibi, quem legens putabis  
 75 te vesci ambrosia, et tibi repleri  
 76 ora nectare. Sin mea procellae  
 77 ferunt irrita verba, mox iam bos  
 78 exspecta horribiles, amariores  
 79 felle, absinthio, et omnibus venenis,  
 80 quotquot Thessala nutrit ora, quotquot  
 81 Ponti terra creat. Sed eia age eia  
 82 huc ades, Galatee, quid moraris ?

AD BERNARDINUM MAPHAEUM, ET ANTONIUM MIRANDULAM  
DE ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI

C5\_9 v.1 Gaudete, o lepidi mei sodales,  
 2 omni jam posito timore, venit  
 3 tandem nuntius optimus, patronum  
 4 salvum, et incolumem redire nostrum,  
 5 quem rumor malus Italas per urbes  
 6 divulgaverat esse jam dolore  
 7 confectum lateris, malaque feбри,  
 8 dum cinctus legionibus Latinis  
 9 petit Vindelicas tremendus oras.  
 10 At tibi male sit, moleste rumor,  
 11 qui nos sollicito diu timore  
 12 vexasti. En cito patriam reviset  
 13 Alexander, et omnium Quiritum  
 14 plausus, gaudia, gratulationes  
 15 laetus excipiet ; manusque caras  
 16 nobis jam dabitur deosculari.  
 17 O pulcherrime Sol, tuo nitente  
 18 curru fer cito moenibus Quirini  
 19 hunc diem niveum, et nimis beatum.

AD HIERONYMUM SERIPANDUM

C5\_10 v.1 Commendo tibi, Seripande magne,  
 2 Gulielmum, hominem pium, eruditum,  
 3 et candore animi parem columbae,  
 4 doctum praeterea utriusque linguae ;  
 5 quodque existimo pluris aestimandum,  
 6 pauperem juvenes tamen docentem

7 gratis pauperie mala gravatos.  
 8 Illum Graecia magna procreavit  
 9 antiqua probitate, moribusque  
 10 dignis Pythagora virum, tuaque  
 11 dignum amicitia : idque ita esse, certo  
 12 sciens, hunc tibi, magne amice, dono,  
 13 virtutisque tuae dico. Nec alter  
 14 cliens aptior est tibi, nec ipse  
 15 patronum inveniat sibi aptiorem.

## AD IOANNEM CASAM

C5\_11 v.1 Disertissime Casa, quem libellum  
 2 legendum dederas mihi, relegi  
 3 saepe ac saepius, et tamen legendi  
 4 is desiderium mihi reliquit.  
 5 Nec mirum ; siquidem tuus libellus  
 6 tam doctus, numerosus, elegansque est,  
 7 ut scriptus videatur aureo illo  
 8 saeculo Ciceronis, atque ab ipso  
 9 divino Cicerone. Nec profecto  
 10 vivet iste minus diu libellus,  
 11 quam libri Ciceronis. Ergo, Casa  
 12 disertissime, perge, saeculumque  
 13 nostrum orna aureolis tuis libellis.

## AD MATTHAEUM DANDULUM

C5\_12 v.1 O brumae mihi Vere amoeniores,  
 2 quibus, Dandule care, te fruebar,  
 3 antequam Latium petissem, et Urbem !  
 4 Cum subit mihi candidarum imago  
 5 illa noctium, et ille propter ignem  
 6 sermo dulcis, et Attico lepore  
 7 conditus, lacrimae effluunt ocellis,  
 8 ut rivus pluvia frequenti abundans ;  
 9 nec quidquam mihi suave jam videtur,  
 10 aut videbitur, usque dum redire  
 11 ad carum hospitium tuum licebit,  
 12 quod Phoebus pater, et novem sorores,  
 13 et virtus celebrant, fidesque, honorque.  
 14 At donec procul a tuis ocellis  
 15 me tenent superi parum faventes,  
 16 ne, quaeso, pigeat meum dolorem  
 17 te jocis relevare literarum.  
 18 Quamquam te patriae, imperique magni  
 19 cura distinet, est tamen laborum  
 20 quies, ingenuoque sunt (opinor)  
 21 isthaec seria temperanda lusu.

## AD ALOYSIUM PRIULUM

C5\_13 v.1 Dum Canicula fervidis fatigat  
 2 vos caloribus, ipse valle opaca  
 3 sedens propter aquam nitentem amoeni  
 4 Mesuli, placido fruor tepore  
 5 veris : attamen hoc, Priule, dicam,  
 6 et dicam sine fraude, malim aduri  
 7 ardenti Libyae, Indiaeve ab aestu,  
 8 quam magni alloquiis carere Poli,  
 9 qui virtute sua, suoque miro  
 10 cepit sic animum meum lepore,  
 11 ut illo sine mella amara, soles  
 12 obscuri, nivea atra, ver amoenum  
 13 horridum mihi sit, diesque longo  
 14 anno longior. Ergo sic habeto,  
 15 ut primum potero explicare quae nunc  
 16 me negotia distinent redibo  
 17 ad vos Pegaseo ocior volatu.  
 18 Quod negotia si mihi facessent  
 19 haec negotium, et expedire nodos  
 20 istos non dabitur brevi, relictis  
 21 nodis, atque negotiis revertar ;  
 22 nam tanti nihil est, velim ut carere,  
 23 frater optime, te, meoque Polo.

## AD DONATUM RULLUM

C5\_14 v.1 Rulle candide, et omnium virorum  
 2 humanissime, quos abhinc trecentos  
 3 annos Appula terra procreavit,  
 4 quod me perpetuis, meosque amicos  
 5 juvas officiis, tuaeque semper  
 6 domus hospitium mihi est apertum,  
 7 in hoc eximiae benignitatis  
 8 clarum das specimen ; tibi que grates  
 9 ago, maxime, maximas, amice,  
 10 tantis pro meritis, agamque semper,  
 11 atque habeo ; referre namque, ut opto,  
 12 nec licet modo, nec licebit umquam.  
 13 At quod nuper amore nostri es ausus  
 14 tentare, et facere aequae amanter, ac si  
 15 tibi filius, aut pater fuisset,  
 16 id vero et mihi, et omnibus videtur  
 17 tam magnum, ut tibi debitas referre  
 18 non possim, aut agere, aut habere grates ;  
 19 non si quidquid ubique gratiarum est,  
 20 habere, atque agere, et referre possim.

## AD IACOBUM PEREGRINUM

C5\_15 v.1 Jucundissime amice, cras Tridento  
 2 discedam cupidus tui videndi :  
 3 verum ut commodius loquamur, et ne

4 interpellet amicus hic, et ille,  
 5 in tuo volo te Povilliano  
 6 convenire. Videbis ipse, ne quis,  
 7 Linum praeter, ibi adsit : hunc adesse  
 8 non solum, Peregrine, non recuso,  
 9 sed summe cupio ; est enim modestus,  
 10 et doctus juvenis, mihique amicus  
 11 quam qui maxime. Item cavebis illud,  
 12 ne convivia sint Apiciana.  
 13 Adsint pullus, et haedus, et recentia  
 14 ova, illique sales tui, quibus nil  
 15 usquam salsius, elegantiusve est.  
 16 Haec si, inquam, affuerint, tuum sodalem  
 17 jucunde accipies, nimisque laute :  
 18 nam convivia sumptuosa pejus  
 19 morte vito : jocos, facetiasque  
 20 sector mirifice ; tuasque regum  
 21 verbis praefero colloctiones.  
 22 Haec ex tempore carmina exaravi,  
 23 cum Morilla repente, si quid ad te  
 24 vellem, quaereret : at brevi, favente  
 25 deo, plurima seria, et jocosa  
 26 coram. Nunc vale, et optimam sororem  
 27 meo nomine plurimum saluta.

## AD FERANDUM BRANCATIUM

C5\_16 v.1 Tune Flaminii putas, Ferande,  
 2 effluxisse animo tuum leporem,  
 3 carumque hospitium ? Ante vel propinquo  
 4 nabit Pausilypus mari, vel unda  
 5 Sebethi refluens suos adibit  
 6 fontes, pectore quam meo recedat  
 7 imago tua dulcis. Atra sensus  
 8 cum mors abstulerit mihi, manebit  
 9 illa infixata animo ; tuamque semper  
 10 virtutem meminisse me juvabit.  
 11 Quod si vota mea audiunt benigni  
 12 Caelites, adero brevi ; nec ulla  
 13 jam res Flaminium hospiti benigno  
 14 avellet : domus una, et una mensa  
 15 copulabit utrumque, dum suprema  
 16 dies separet. Interim valebis,  
 17 nil plane dubitans, Ferande, rebus  
 18 me tuum omnibus anteferre amorem.

## AD PETRUM CARNESECUM

C5\_17 v.1 O dulce hospitium, o lares beati,  
 2 o mores faciles, o Atticorum  
 3 conditae sale colloctiones,  
 4 quam vos aegro animo, et laborioso,  
 5 quantis cum lacrimis miser relinquo !  
 6 Cur me saeva necessitas abire,



7 cur vultum, atque oculos, jocosque suaves  
 8 cogit linquere tam venusti amici ?  
 9 Ah reges valeant, opesque regum,  
 10 et quisquis potuit domos potentum  
 11 antepone candidi sodalis  
 12 blandis alloquiis, facetiisque.  
 13 Sed quamquam procul a tuis ocellis,  
 14 jucundissime Carnesece, abibo  
 15 regis imperium mei secutus,  
 16 non loci tamen ulla, temporisve  
 17 intervalla tuos mihi lepores,  
 18 non mors ipsa adimet. Manebo tecum,  
 19 tecum semper ero, tibi que semper  
 20 magnam partem animae meae relinquam,  
 21 mellite, optime, mi venuste amice.

AD UBERTUM FOLIETAM

C5\_18 v.1 Ibis ad patriae lares beatos,  
 2 et desiderium tui relinques  
 3 maximum unanimi tuo sodali.  
 4 Nam quo tempore nostra cara coepta  
 5 est amicitia, ex eo medullis  
 6 mihi carior es meis, erisque,  
 7 sensus dum mihi erit amoris ullus,  
 8 propter ingenium tuum, tuosque  
 9 mores, et studia artium bonarum,  
 10 et stylum Cicerone paene dignum,  
 11 et plane Cicerone mox futurum,  
 12 vitalis modo sis, Uberte, dignum.  
 13 Ibis tu procul, et tamen manebis  
 14 meo in pectore fixus, et juvabit  
 15 idem credere de tuo in me amore.  
 16 Quod te per lacrimas, amice, amaras,  
 17 quae fluunt oculis tuis, meisque,  
 18 per si qua est tibi cura nostri, id oro,  
 19 cito Urbem repete, et tui miselli  
 20 sodalis miserere, quem relinquis  
 21 in luctu, et tenebris tuo recessu.

AD MARIUM BANDINUM

C5\_19 v.1 Quod sum pollicitus tibi, futurum  
 2 me tecum cito, id exsequar diebus  
 3 paucis, si mihi faverint benigni  
 4 caelites : reliquom est, ut ipse in urbe  
 5 interim maneat, agellulumque  
 6 tuas delicias sinas valere,  
 7 usque dum veniam, tuoque dulci  
 8 fruar colloquio, facetiisque.  
 9 Nec Germanicus absit, ille bellus,  
 10 et doctus puer, optimoque patre  
 11 dignus filius : hic mihi trecentos  
 12 versus Maeonidae volo Maronis

13 explanet varia locutione.  
 14 Tu Germanica bella, Caesarisque  
 15 narrabis mihi clara facta, quorum  
 16 ipse non quotacumque pars fuisti :  
 17 a me carmina Davidis, Tridenti  
 18 expressa accipietis ; et juvabit  
 19 hymnos dicere versibus Latinis.  
 20 Decem continuos dies manere  
 21 tecum cogito ; eaque lege tantum  
 22 utar hospitio tuo, morari  
 23 ne plus quam volo, sit mihi necesse ;  
 24 quod jam praemoneo, satis superque  
 25 amoris violentiam, impetumque  
 26 tui cognitum habens. Sed audi, amice,  
 27 quam bonam hospitibus bonis Homerus  
 28 legem sanciat : hospitem caveto,  
 29 hospes, neve manere, neve abire  
 30 cogas : in vitio pari est uterque,  
 31 urgentem remorans, morantem adurgens.  
 32 Hoc viros decet elegantiores  
 33 praeceptum memori tenere mente,  
 34 nec umquam violare. Tu, venuste  
 35 Mari, dum venio, vale, meoque  
 36 fratrem nomine candidum saluta.

AD LUDOVICUM STROZZAM

C5\_20 v.1 Strozzam Flaminius suum salutat  
 2 Benaci liquidam jacens ad undam  
 3 sub myrto bene olente, dum superba  
 4 terit limina principum misellus  
 5 Strozza. Tu ne molesta in urbe semper  
 6 inclusus, variis agri beati  
 7 numquam deliciis fruere ? Numquam  
 8 ruris gaudia noveris ? Miselle,  
 9 rumpe obstantia claustra, rumpe lentas  
 10 moras, si sapis, optimumque amicum  
 11 vise. Hic Vergilium tuum, meumque  
 12 Catullum vacui legemus. Hic tu  
 13 cultis versiculis canes amoenos  
 14 hortos, et vitrei lacus decentes  
 15 Nymphas : me cithara bonum Gibertum  
 16 juvat dicere, cujus hic agellus  
 17 mihi munere partus. Hunc agellum  
 18 ille donat habere, quo nec alter  
 19 Baccho, et Palladi gratior, nec alter  
 20 Muis otia, et abditos recessus  
 21 praebet commodius. Modo haec benigni  
 22 faxint propria dona di, talenta  
 23 Croesi despicio, Midaeque acervos.

## AD PETRUM VICTORIUM

C5\_21 v.1 Victori, tibi plurimum fatemur  
 2 nos debere, quibus tuo labore  
 3 hic Aristotelis libellus artem,  
 4 et mysteria rhetorum recludens  
 5 explanatur ita apte, et eleganter,  
 6 ut quem aegre unus, et alter eruditus  
 7 intellexerat ante, ineruditi  
 8 te docente queant labore nullo  
 9 tunc intelligere. Ergo jure cuncti  
 10 indocti simul, atque docti amamus  
 11 te de hoc munere, maximasque semper  
 12 labori tuo, et eruditioni,  
 13 rhetor maxime, gratias agemus.

## AD ANTONIUM MASSAM

C5\_22 v.1 Etsi Sulpiciis, Catonibusque  
 2 non cedis gravitate, nec patroni  
 3 ullius celebrat domum perinde  
 4 ac tuam populus, tamen caveto  
 5 ne supercilio nimis severo  
 6 lusus molliculos meae Camoenae  
 7 spernas, optime Massa ; nam Platonis,  
 8 quo nemo gravior fuisse fertur,  
 9 exstant carmina melle dulciora,  
 10 quae summa faciebat is senecta,  
 11 non semper studiis vacans severis.  
 12 Et noster quoque Tullius solebat  
 13 e foro rediens laborioso  
 14 versus scribere delicatiores,  
 15 ut curis animum gravem levaret.  
 16 His auctoribus, ut reor, licebit  
 17 nugas Flamini legas ad ignem,  
 18 cum te garrula turba liberorum  
 19 dicendi nimio labore fessum  
 20 ad jocos vocat, et leves cachinnos.

## AD CAROLUM GUALTERUTIUM

C5\_23 v.1 Quas agam tibi gratias, quibusque  
 2 verbis, Carole ? Qui mei negoti,  
 3 duri, Juppiter ! Et laboriosi,  
 4 procurator, ad exitus secundos  
 5 rem tam commode, et apte, et expedite  
 6 duxisti, ut videare par agendis  
 7 rebus Mercurio Jovis ministro,  
 8 quem deum ingenio, eloquentiaque  
 9 omnes vincere, praedicant poetae.  
 10 Ergo, candide amice, dum laboras  
 11 pro me quotidie, otio ipse dulci,  
 12 cupitoque fruor Casertae in agro,  
 13 qui pulcherrimus omnium locorum

14 jure dicitur. Hic bonas precabor  
 15 Musas, ut faciant tibi poema,  
 16 in quo nomen, honos, tuaeque laudes  
 17 vivant innumerabiles per annos.

AD BASILIUM ZANCHUM

C5\_24 v.1 Judex candide carminum meorum,  
 2 quamquam gratulor et tibi, et faceto  
 3 arcellae, quod amore juncti, et una  
 4 domo, vivitis optime, ac beate,  
 5 tamen, si licet intimo sodali  
 6 verum dicere, nec tacere quidquam,  
 7 quod absis, doleo, tuique ferre  
 8 vix desiderium queo ; nec illo  
 9 torquetur minus optimus Priulus :  
 10 nam dulcis tua Musa, comitasque,  
 11 et rara probitas, fidesque utrumque  
 12 sic incendit amore, vita acerba  
 13 te sine ut videatur, olim utrique  
 14 jucundissima quae solebat esse  
 15 te praesente. Quid ergo, care Zanche,  
 16 agendum ? An tibi suadeam, relicto  
 17 arcella ut redeas ? Meumne tanti  
 18 commodum faciam, et Priulum, ut illi  
 19 cui plus debeo paene quam Priulo,  
 20 sic incommodem iniquus ? Immo, amice,  
 21 arcellam cole, ama, nec unquam ab ipso  
 22 latum, quaeso, recede ; quippe inani  
 23 nos desiderio, tui atque amore  
 24 vel tabescere malo, quam carere  
 25 suis deliciis venustum amicum.

AD FRANCISCUM TURRIANUM

C5\_25 v.1 Per tui Ciceronis, et Terenti  
 2 scripta te rogo, Turriane docte,  
 3 ut postridie adhuc rubente mane,  
 4 cum fecundat humum decorus almo  
 5 rore Lucifer, exiens Giberti  
 6 domo ad me venias equo citato,  
 7 ne tibi igneus antevertat aestus.  
 8 Hic fontem prope vitreum sub umbra  
 9 formosi nemoris tibi parabo  
 10 prandium Jove dignum. Habebis et lac  
 11 dulce, et caseolum recentem, et ova,  
 12 et suaves pepones, novaque cera  
 13 magis lutea pruna. Delicatos  
 14 addam pisciculos, nitens salubri  
 15 quos alit mihi rivulus sub unda.  
 16 Ad mensam vetulus canet colonus  
 17 jocosissima carmina, et coloni  
 18 quinque filiulae simul choreas  
 19 plaudent virgineo pede. Inde ocellos

20 ut primum sopor incubans gravabit,  
 21 jucundissime amice, te sub antrum  
 22 ducam, quod croceis tegunt corymbis  
 23 serpentes hederæ, imminensque laurus  
 24 suaviter foliis susurrat. At tu  
 25 ne febrim metuas, gravedinemve ;  
 26 est enim locus innocens. Ubi ergo  
 27 hic satis requieveris, legentur  
 28 lusus Vergilii, et Syracusani  
 29 vatis, quo nihil est magis venustum,  
 30 nihil dulcius, ut mihi videtur.  
 31 Cum se fregerit aestus, in virenti  
 32 convalle spatiabimur ; sequetur  
 33 brevis cena ; redibis inde ad urbem.

AD ROMULUM AMASAEUM

C5\_26 v.1 Sic te, Romule, copia beata  
 2 fandi, et omnigena eruditione  
 3 vincat Pompilius tuus ; benignus  
 4 sic te sospitet inter arma, divum  
 5 rex, oro, mihi mitte crebriores  
 6 posthac litterulas ; nec ullus umquam  
 7 tabellarius huc equis citatis  
 8 currat Vindelica profectus ora,  
 9 quin epistolium tuo sodali  
 10 afferat. Neque tu, quid ipse Caesar,  
 11 quid Germania Caesari resistens  
 12 castris oppositis gerat, labora  
 13 mihi scribere. Nec quid ipse Caesar,  
 14 nec Germania quid gerat, laboro  
 15 scire : unum hoc mihi nosse, amice, cordi est,  
 16 ut Farnesius inclytus laborem  
 17 duræ militiæ ferat. Valere  
 18 ipsum dic ; nihil amplius requiro.

AD ADAMUM FUMANUM

C5\_27 v.1 Cum, Fumane, tuus, meusque nuper  
 2 scripsisset mihi Turrianus, omnes  
 3 de tua medicos salute parvam  
 4 jam spem habere, dolor meam occupavit  
 5 sic mentem, ut fugeret quies ocellis,  
 6 nec flendi modus ullus esset. Ergo  
 7 tam bonum mihi mors acerba amicum,  
 8 prima surripiet juventa ? Amicum,  
 9 quo nec candidior fuit, nec alter  
 10 erit ; cui dederat loqui rotundo  
 11 ore pulcher Apollo, sive Graecos  
 12 versus conderet ille, seu Latinos.  
 13 Haec, et quae dolor improbus querenti  
 14 suggerebat, amice, sum locutus,  
 15 vix parcens superis. Sed ecce laeta  
 16 venit littera nunc, tuae salutis

17 felix nuntia, qua meum revixit  
 18 cor, ut flosculus igne semiustus  
 19 Solis, quem reficit benigna Luna  
 20 rore frigidulo. Nec ulla mater  
 21 natum depositum videns deorum  
 22 dono restitui, magis triumphat  
 23 gaudio. Bone Juppiter, benigno  
 24 quem tu numine janua rapacis  
 25 nunc Orci eripuisti, eundem eodem  
 26 serva numine plurimos in annos.

AD BONIFACIUM BIVILAQUAM

C5\_28 v.1 De me ne male sentias, amice,  
 2 quod te visere proximis diebus  
 3 cum proclive foret facillimumque,  
 4 id tamen minime egerim. Per agros  
 5 tuos, et medios quidem ambulavi  
 6 ad Camillum adiens meum ; sed, oro,  
 7 qua possem ratione suspicari,  
 8 agros esse tuos, tuamque villam,  
 9 quam vidi procul eminentem ? Amice  
 10 candidissime, tale si quid umquam  
 11 in mentem mihi venit, aut venire  
 12 quivit, mente tua effluam, meique  
 13 fias nominis immemor, nec umquam  
 14 jucunda amplius allocutione  
 15 digneris tenerum tuum sodalem ;  
 16 quod foret mihi acerbius vel ipsa  
 17 morte, sive quid esse morte acerba  
 18 potest saevius. Est enim leporis  
 19 tanta vis tui, et intimas medullas  
 20 ita incendit amore, ut ardeam aequae  
 21 totus, ac juvenis decore capta  
 22 virgo candida suscitantis imo  
 23 flammam in pectore, quam nec imber alto  
 24 caelo praecipitans, nec ulla jam quit  
 25 unda extinguere ; non si amara Tethys  
 26 ardentem Oceani obruat procellis.

AD CHRISTOPHORUM LONGOLIUM

C5\_29 v.1 Dum tu Naugerio, optimoque Bembo,  
 2 Longoli, frueris, tuique Tulli  
 3 laudes aequiparare tendis ; ipse,  
 4 ubi molibus arduis ad astra  
 5 se tollit Genua, hortulis amoenis  
 6 abditus Stephani mei tuique,  
 7 nunc Aristotelis lego libellos,  
 8 caelestem sapientiam, virique  
 9 mirans ingenium : modo ad Catulli  
 10 dulces versiculos relapsus, inter  
 11 argutas volucres cano sub umbra  
 12 silvae lauricomae jacens : modo ipse

13 ludo carmina, qualia in Lycei  
 14 nigris saltibus Arcades canebant,  
 15 antequam fera gens profecta ab oris  
 16 incultae Scythiae procul Menalcas,  
 17 Tityrosque fugaret. Ipse vero  
 18 Saulius, tua dum laborat ire  
 19 per vestigia, Tullium urget, uno  
 20 in illo stupet, et nimis beatum,  
 21 Longoli, putat esse te, benignus  
 22 cui dat Juppiter esse tam propinquum  
 23 scriptori egregio. Ast ubi remisit  
 24 aestus, nec querulis sonant cicadis  
 25 arbusta amplius, igneusque jam Sol  
 26 abit, nos pelagi propinqui ad undam  
 27 imus. Hic scopulo sedens uterque  
 28 pisces captat arundine, et videre  
 29 cymbas purpureo mari volantes  
 30 juvat. Flamini tui, tuique  
 31 Sauli, candide amice, vita qualis  
 32 sit, vides : ea si placet, venito,  
 33 et vitae cumulum addito beatae  
 34 tui Flamini, tuique Sauli.

AD DOMINICUM SAULIUM

C5\_30 v.1 Quod virtus tua maxima invidorum  
 2 telis objicitur, dolere, Sauli,  
 3 numquam desino pro meo vetusto  
 4 in te amore, tuaque perpolita  
 5 doctrina, et bonitate singulari :  
 6 idem gratulor intuens tumultu  
 7 in tanto placidam tuam quietem,  
 8 dum mente intrepida impetum furentis  
 9 Fortunae toleras. Sed ipsa tandem  
 10 innocentia vincet ; et repulsis  
 11 cernes criminibus tuam micare  
 12 famam, ut nubibus hinc et hinc fugatis  
 13 Sol ardet radians nitente luce.

AD PETRUM CARNESECUM DE EMANUELE CHIO MEDICO

C5\_31 v.1 Di boni tua vota, Carnesece,  
 2 audivere : fugit siticulosa  
 3 febris, et redit ad meos ocellos  
 4 quies, et cibus incipit juvare,  
 5 et Bacchi minus est latex amarus ;  
 6 et, quod laetitias meas adauget,  
 7 me Chius medicus fricatione,  
 8 et victu tenui levat, remotis  
 9 omnium medicaminum venenis,  
 10 queis languentia membra deteruntur.  
 11 Ipse utrum melior, peritiorve,  
 12 sit plane dubites : benigniorem  
 13 non certe invenias, pecuniamve

14 curantem minus. Et suis medetur  
 15 aegrotis ita amanter, ut parentes  
 16 aut nati, aut videantur esse fratres.  
 17 O Chium medicum bonum, atque suavem,  
 18 et tibi, inclyte Coe, comparandum !

AD PHILIPPUM GERIUM

C5\_32 v.1 Quid rerum geris, o venuste Geri ?  
 2 Num cessas ? Tibi nil minus profecto  
 3 convenit, bona quem Thalia parvum  
 4 in sinu erudiit suo, deditque  
 5 vatum florea prata pervagantem  
 6 versus fingere melle dulciores.  
 7 Quod si scribis, ut arbitror, tuumque  
 8 Moronum celebras, ad astra justis  
 9 ferens laudibus, aureosque mores,  
 10 virtutesque viri paras in aevum  
 11 aeternare, facis quidem quod est te,  
 12 et tua pietate dignum : at illud  
 13 indignum nimis, et nimis molestum,  
 14 quod celas, neque me, ut soles, amice,  
 15 oblectas lepida tua Camoena.  
 16 Quare per tuum Apollinem, tuamque  
 17 Musam, et Maeonidem sacrum, et Maronem  
 18 oro, si quid habes, bono sodali  
 19 mitte. Nil mihi gratius, magisve  
 20 nostro feceris hercle amore dignum.

AD OCTAVIUM COGNOMENTO PATREM

C5\_33 v.1 Octavi Pater, ad Viterbiensem  
 2 secessum venias, rogamus omnes ;  
 3 Polus, Parpalias, Priulus, ipse  
 4 tuus Flaminius. Nec esse Romae  
 5 tutum est, cum rapidus caniculari  
 6 aestu Sol furit, et Viterbi in urbe  
 7 jucundo fruimur tepore veris  
 8 aestate in media. Nec ulla certe  
 9 est salubrior ora, nec sodales  
 10 tui habes, mihi crede, amantiores  
 11 usquam ; te licet elegantiorum  
 12 nemo non amet unice, colatque.  
 13 Cur ergo, Pater, huc venire cessas ?  
 14 Num te illa innumerabilis librorum  
 15 tenet copia curiosum ? Habebis  
 16 et hic Graeca volumina et Latina,  
 17 quae lassare valent decem otiosos  
 18 Plinios. Licet usque, et usque, et usque  
 19 noctes, atque dies legas, ut hercle  
 20 facis, (ne dubita) tamen novorum  
 21 haud te deficiet librorum acervus.  
 22 Ergo rumpe moras, Pater venuste,  
 23 mellite, optime, nec tuos sodales



24 contemptos habe. Amore vinci ab ullo  
 25 in primis tibi turpe, quem fatentur  
 26 exemplum memorandum amoris omnes.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM

C5\_34 v.1 Si recte tibi, Ludovice care, est,  
 2 gratias ago dis. At esse recte  
 3 qui potest ? Brevis hora si quieti  
 4 vix umquam datur, et bonis libellis,  
 5 quibus nil tibi carius, salutem  
 6 multam dicere cogeris, nec agri  
 7 licet delicias tui videre.  
 8 Sed dic, optime amice, quis laborum  
 9 tandem finis erit ? Vides capillum  
 10 jam canescere, jam senecta frontem  
 11 rugis incipit exarare, nec tu  
 12 vivere incipis ? An manum rapacem  
 13 dum Mors injiciat tibi repente  
 14 exspectas ? Miser, ah miser, fugaci  
 15 vitae consule, et Urbe derelicta,  
 16 in tuo requiesce tandem agello.

AD NICOLAUM ORMANETUM

C5\_35 v.1 Quid, o candide amice, semper ista  
 2 juvat vivere in Urbe, cursitando  
 3 nunc per limina principum superba,  
 4 nunc subsellia iudicum terendo ?  
 5 Ormanete, fugit levis juvenia  
 6 ventis ocior, et subit senectus  
 7 curva, quam sequitur ferox tenebris  
 8 mors operta ; nec illius furorem  
 9 arcet nobilium favor : clientem, et  
 10 patronum rapit illa. Amice, quaeso,  
 11 vive, dum licet, otioque dulci  
 12 ruris elue amara civitatis.  
 13 Si gustare mei semel quietem  
 14 agelli potes, et periclitari  
 15 quam sit suave tumultuosa ab Urbe  
 16 semotum sibi vivere, otiosa  
 17 numquam sit mihi vita, ni potentum  
 18 fortunasque, domosque, gratiamque  
 19 arbitrare vix pili aestimandas.  
 20 Tunc dices : nihil est profecto mirum,  
 21 meus Flaminius quod esse laetus  
 22 fortuna exigua, brevisque censu  
 23 audet, nil populi leves honores  
 24 curans, nil rutilos Midarum acervos.

## AD RAYMUNDUM TURRIANUM DE FRANCISCO FRATRIS EIUS FILIO

C5\_36 v.1 Venimus, bone Turriane, ad Urbem  
 2 salvi, et incolumes, nec ulla passi  
 3 viae incommoda ; verum in Urbe posthac  
 4 salvi, et incolumes utrum futuri  
 5 simus, nescio ; nam tremit tumultu  
 6 tellus Romula maximo : propinquat  
 7 miles barbarus, et ferox minatur  
 8 caedem, incendia ; nec satis videmus  
 9 tantorum effugium periculorum.  
 10 Sed cum multa animo meo recursent  
 11 molestissima, nil ita ad dolorem  
 12 accidit grave, ut hic videre fratris  
 13 tui filium. Acerba sicne fata  
 14 tulisse, ut puer hic ad Urbem adiret  
 15 isto tempore tam periculoso ?  
 16 Mene, quod nimis ingravat dolorem,  
 17 exstitisse profectionis hujus  
 18 auctorem ? Bone Juppiter, malorum  
 19 quidquid huic puero imminet, redundet  
 20 in meum caput, obsecro. Quid iste  
 21 puer commeruit ? Puer bonarum  
 22 cura Pieridum ; puer Catullo  
 23 suo municipi futurus olim  
 24 par, aut major. Et hunc, Apollo sancte,  
 25 sines ludibrium esse barbarorum ?  
 26 Huc ades, bone dive, seu fluenta  
 27 Xanthi, seu retinent amoena Cynthi  
 28 te juga ; huc ades, o pharetra et arcu  
 29 insignis. Fera fata si Quirini  
 30 Urbem evertere destinant, misellum  
 31 ah saltem puerum tuum, tuumque,  
 32 oro, Flaminium tuere. Uterque  
 33 est tuus famulus : uterque sese  
 34 a primis tibi dedicavit annis.

## AD HONORATUM FASCITELLUM

C5\_37 v.1 Fascitelle, quid otio in beato  
 2 dictavit tibi roscidis sub antris  
 3 Musa candida ? Nil soles profecto  
 4 umquam scribere laurea corona  
 5 non dignum. Ipse miser tumultuosa  
 6 Urbe detineor : tibi benignus  
 7 dedit Juppiter in remoto agello  
 8 latentem placida frui quiete,  
 9 inter Socraticos libros, et inter  
 10 Nymphas, et Satyros, nihil profani  
 11 curantem populi leves honores.  
 12 Verum, sive aliquid Marone dignum  
 13 pangis, sive modis Horatianis  
 14 juvat ludere, quidquid est, sodali  
 15 tuo mitte. Alii sibi, atque Misis  
 16 scribant : tu cave, carmina oculos quae

17 digna sunt medio legi theatro.

AD BLOSIUM PALLADIUM

C5\_38 v.1 Plurimam Blosio suo salutem  
 2 dicit Flaminius malus poeta  
 3 omnium lepidissimo poetae.  
 4 Quae tu carmina per jocum, atque lusum  
 5 scripsisti ad Jovium bonum sodalem  
 6 jucunde, lepide, facete, amanter,  
 7 non sunt Flaminio malo poeta  
 8 digna carmina, sed tuo Catullo,  
 9 quo nil salsius, elegantiusve.  
 10 Nam nec tam similem suo gemello  
 11 gemellum peperit venusta Leda,  
 12 es tu quam similis tuo Catullo.

AD IOANNEM FRANCISCUM BINUM

C5\_39 v.1 Quid horto, bone Bine, qui solebat  
 2 plura carmina quam rosas, et herbas  
 3 olim fundere, contigisse dicam ?  
 4 Cur ex garrulo, et eloquente factus  
 5 jam sit Harpocrates. Tamen nec illi  
 6 desunt lilia, nec rosae : ille grandes  
 7 lactucas habet, ocimumque : tortus  
 8 abundat cucumis, rubent ubique  
 9 fraga : quin et apis levi susurro  
 10 illum provocat ad canendum. At ipse,  
 11 quasi grandine verberatus esset,  
 12 aut fur omnia sustulisset, odit  
 13 locum, et carmina ; scilicet sequuntur  
 14 mores et domini instituta, servi.  
 15 Dum tu carmina, Bine, amasti, et Hortus  
 16 ipse carmina amavit : at simul tu  
 17 lucrum versibus esse praeferendum  
 18 putasti, Hortus item studet lucello,  
 19 et se divitibus locat, merasque  
 20 nugas carmina, ineptiasque ducit.  
 21 At tibi male sit, malum lucellum,  
 22 Musae perniciēs, malum lucellum ;  
 23 tua certe opera bonis, facetisque  
 24 Horti carminibus diu caremus.

AD BERNARDINUM MAPHAEUM

C5\_40 v.1 Maphaeae unanimis mihi sodalis,  
 2 si quid de domini tui meique  
 3 salute est tibi nuntiatum, amabo  
 4 fac me participem ; malamque curam,  
 5 quae affixa interioribus medullis  
 6 noctes atque dies edit misellum,  
 7 aufer. Vindelicis enim feruntur

8 nuntii lacrimabiles ab oris  
 9 de febris assidua, et periculosa  
 10 Farnesi. O nimium mihi molesti  
 11 nuntii, mala tanta qui minantur !  
 12 Quod si quid melius tuae cupitae  
 13 ferent litterulae, metumque tristi  
 14 absterges animo, tibi rependent  
 15 centum versiculos meae Camoenae,  
 16 qui testentur ubique, dum licebit  
 17 ipsis vivere, nil fuisse magni  
 18 Farnesi mihi carius salute.

## AD PETRUM VIPERAM

C5\_41 v.1 Fortunate senex, senex beate,  
 2 quo te carmine praedicare possim ?  
 3 Est domus tibi parva, sed supellex  
 4 munda, lectulus elegans, tabellae  
 5 quae suis oculos vel eruditos  
 6 figuris teneant, cubiculumque  
 7 ornatum satis, et satis librorum  
 8 magna copia, qui bene, ac beate  
 9 docent vivere, mensa pura, victus  
 10 simplicissimus. Est tibi fidelis  
 11 minister, vetulus sodalis idem,  
 12 qui cum fallere tempus, et jocari  
 13 soles suaviter ; est enim facetus  
 14 senex, blandus, amabilis, disertus.  
 15 Haec ad comoda tam beata magnum  
 16 adjungit cumulum hortulus venustus,  
 17 quem vel Corycius senex agello  
 18 suo praeferat, omniumque dicat  
 19 pater Nausicaae hortulorum ocellum.  
 20 Adde, quod viridis tibi senectus,  
 21 quod mens candida, candidique mores :  
 22 quod sestertia quinque ab Urbe missa  
 23 sunt satis tibi singulos per annos.  
 24 Abest ambitio, timorque leti,  
 25 et quidquid miseram facit senectam ;  
 26 nam Deo pietas amica, vitae,  
 27 et morti bona cuncta pollicetur.  
 28 Fortunate senex, senex beate,  
 29 quo te carmine praedicare possim ?

## AD HIERONYMUM BAGIUM

C5\_42 v.1 Cum tot sustineas, Bagi, labores,  
 2 tot negotia nostri amore, quidnam  
 3 pro tantis meritis tibi rependam ?  
 4 Unum hoc scilicet, elegantiarum  
 5 ut patrem omnium, et omnium leporum  
 6 domi convenias, eique dicas  
 7 meo nomine plurimam salutem.  
 8 Quis iste, unde, ubi sit, requiris ? Hic est

9 optimus Galeatius, Suessa  
 10 quem ferax genuit, tenent Penates  
 11 nunc tuae patriae, et domum frequentat  
 12 Moroni egregii. Ille te benigne  
 13 amplexabitur, ut meum sodalem.  
 14 Id primo ; ast ubi vir bonus venustos  
 15 et mores faciles tuos parumper  
 16 gustarit, geret in suis ocellis  
 17 tuo nomine te, nec alter illi  
 18 erit carior ; hinc senex habebit  
 19 maximam mihi gratiam. Ipse, quidquid  
 20 tibi debeo, persolutum abunde  
 21 arbitraberis, et simul putabis  
 22 me tuum insuper esse creditorem.

## AD MARIUM GALEOTAM

C5\_43 v.1 Tune, docte Mari, tuo sodali  
 2 potes consulere, ut suas ineptas  
 3 nugas edat, et ora per virorum  
 4 vagari sinat ? Actione vestro  
 5 me contendere vis ? Ego, inquam, amice,  
 6 postquam is carmina tam venusta, tamque  
 7 polita edidit, audeam libellos  
 8 meos edere ? Nonne, quaeso, id esset,  
 9 olori obstrepere anserem ? Sit ergo  
 10 satis, si tibi, candidisque amicis  
 11 lusus putidulae meae Camoenae  
 12 ostendo. Nihil est mihi timendum,  
 13 dum sese mea continet Camoena  
 14 istis finibus : at venire in ora  
 15 si vulgi audeat, ah nimis misellum  
 16 tuum Flaminium ! Boni poetae  
 17 quem Aquinum, Bavium, et sui venenum  
 18 saeculi, atque opprobrium esse praedicabunt.

## AD BLOSIUM PALLADIUM

C5\_44 v.1 Leporum pater et facetiarum,  
 2 Blosi candide, cernis, ut profundum  
 3 tuis hendecasyllabis jocosis  
 4 veternum excutias meae Camoenae ?  
 5 Quae jam dididit loqui Latine ;  
 6 et pedes reperire, queis venusti  
 7 currunt versiculi, sonosque dulces  
 8 portant auribus eruditiorum.  
 9 At tu quidquid id est ineptiarum,  
 10 quod mitto tibi, per tuam Turundam,  
 11 per sales, joca, tinnulos cachinnos  
 12 festivae comites dicacitatis,  
 13 per tuos, precor, Atticos lepores,  
 14 ne prodire sinas in ora vulgi,  
 15 jucunde, unanimis, venuste amice.

## AD LUDOVICUM CANOSSAM

C5\_45 v.1 Rogas ut veniam, Canossa, ad agri  
 2 tui delicias, et eleganter  
 3 describis mihi prata, villam, et hortos,  
 4 et fontem, et fluvium, nemusque opacum.  
 5 Haec sunt maxima, maximeque possint  
 6 quemvis allicere : at nihil profecto  
 7 me tuo magis allicit lepore,  
 8 et tua bonitate singulari ;  
 9 queis ita afficior, patrone magne,  
 10 ut tunc denique vita cara, dulcis,  
 11 vitalis mihi sit, tuis adesse,  
 12 cum possum, alloquiis, daturque tecum  
 13 cenare, et legere, et deambulare.  
 14 Ergo, si mihi di favent, omissis  
 15 curis omnibus ad tuum volabo  
 16 Garzianum, ubi primum amabilis lux  
 17 rebus reddere coeperit colorem  
 18 die postero. Interim valebis.

## AD FABRITIUM BRANCUTIUM

C5\_46 v.1 Fabriti optime, qui manu eleganti  
 2 scribis carmina, quae Camoena dictat  
 3 singulis mihi noctibus, quietem  
 4 dum terris sopor irrigat, quid ipse  
 5 quid pro te faciam ? Deos rogabo,  
 6 ut qui carior est tuis ocellis  
 7 tibi Tullius, is suum in loquendo  
 8 leporem, ingeniumque, copiamque  
 9 inspiret tibi, nobilemque, et illam  
 10 scribendi variam optimamque formam  
 11 det effingere sic, ut esse cunctis  
 12 Tullius videare, Tullianus  
 13 qui jure omnibus esse nunc videris.

## AD HIERONYMUM PONTANUM

C5\_47 v.1 Quod, Hieronyme, patriis ab oris,  
 2 Cornelique Foro procul remotus,  
 3 nunc urbem maris incolo Hadriani  
 4 reginam, modo Romuli superbas  
 5 arces praefero, vel venusta rura  
 6 Casertae, nihil est profecto, cur me  
 7 amantem patriae parum arbitrere.  
 8 Ante urbes alias, et ante me ipsum  
 9 illam semper amavi, et usque amabo,  
 10 dum sensum mihi caelites amandi  
 11 concedent. Itaque ipsa magnitudo  
 12 amoris facit, ut carere malim  
 13 optata genitrice, quam videre  
 14 illam armis, odiisque saevientum

15 natorum laniatam. Acerba fata  
 16 cives praecipites agunt, nec ulla  
 17 tangit cura parentis efferatas  
 18 mentes. Cur igitur colam paternos  
 19 Lares ? Num ut videam meis ocellis  
 20 vias sanguine civium meorum  
 21 manantes, et ubique tecta saevo  
 22 igne ardentia ? Quin meas ad aures  
 23 nefanda haec scelera, impiaeque caedes  
 24 quando perveniunt, abire ad Indos,  
 25 et ultra Oceanum opto, quo nec ipsum  
 26 nomen dulce mihi, simulque amarum  
 27 Corneli penetret Fori, nec ulla  
 28 ruentis patriae venire possit  
 29 Fama, quae mihi sic acerba, sic est  
 30 taetra, atque horribilis, deos ut hercle  
 31 noctes atque dies rogare pergam,  
 32 vel servent patriam meam, vel ipsi  
 33 dent mihi subita perire morte.

AD VINCENTIUM GERIUM

C5\_48 v.1 Ergo, candide Geri, abire certum est ?  
 2 Tune, quem mihi luce cariorem  
 3 fecerunt lepidi, bonique mores,  
 4 abibis procul, et procul manebis  
 5 semper ? O mihi rem gravem, atque acerbam !  
 6 Cur, ah cur, superi, meos amicos  
 7 aut exstinguitis, aut meis ocellis  
 8 vivos surripitis ? Perire malim  
 9 profecto, mala quam videre tanta.  
 10 I felix tamen, i, venuste Geri,  
 11 et solare tuam bonam parentem,  
 12 quae desiderio tui misella  
 13 tabescit ; nimium diu misella  
 14 caret deliciis suis, facitque  
 15 vota vix numeranda pro cupito  
 16 filii reditu. Sed, o tenella  
 17 mater, flebilibus modum querelis  
 18 pone ; jam venit, en venit venustus  
 19 ad te filius, atque eum venustae  
 20 virgini sociabis, et venustam  
 21 videbis sobolem brevi, et juvabit  
 22 saepe dicere balba verba parvis  
 23 anum cum pueris, puellulisque ;  
 24 et cum venerit hora jam suprema,  
 25 in nati gremio beata vitam  
 26 finies, satis et super nepotum  
 27 in turba numerosa adhuc superstes.

AD M. ANTONIUM FAITAM, DE MORTE VICTORIAE COLUMNAE

C5\_49 v.1 Marce, cui citharam dedit canorus  
 2 Apollo, citharam cape, aureumque

3 plectrum, et Flaminii tui dolorem  
 4 leva, quem capit ex suae Columnae  
 5 acerbo interitu. Hei mihi, Columna,  
 6 omnes laetitias meas ad unam  
 7 exstinxti moriens ! Columna, morte  
 8 tua, reddita vita leto amaro  
 9 mihi tristior est ; nec ulla cordi  
 10 jam quies datur, ex quo acerba fata  
 11 Te mihi eripuerunt. O mearum  
 12 curarum requies, tuo licebat  
 13 dum sermone frui, tuisque sanctis  
 14 aegram colloquiis levare mentem !  
 15 At tu, candide Marce, si qua nostri  
 16 tangit cura animum tuum, experire,  
 17 num cantu citharae tuae sonorae  
 18 infandos animi mei dolores  
 19 temperare queas. Amice dulcis,  
 20 paullisper recrea misellum amicum ;  
 21 sic Phoebus pater, et novem sorores  
 22 ament te magis quam suos ocellos :  
 23 sic cedat tibi magnus ille Arion,  
 24 omni Nereidum choro stupente,  
 25 quem pisces placido tulere ponto  
 26 curva ad litora Taenari canentem  
 27 Lyra carmina eburnea, furentes  
 28 quae maris requiescere procellas,  
 29 et duros scopulos movere possent.

AD TRYPHONEM BENTIUM

C5\_50 v.1 O dentatior et lupis, et apris,  
 2 et saetiosior hirco olente, et idem  
 3 tamen deliciae novem dearum,  
 4 quae silvam Aoniam colunt, et idem  
 5 amores boni Apollinis, quot, oro,  
 6 epigrammata post meum recessum  
 7 dictarunt, bone Benti, et iste, et illae  
 8 suis deliciis, amoribusque ?  
 9 Nam quidam meus, et tuus sodalis  
 10 Tridento veniens, ait trecenta  
 11 te vel plura Epigrammata incitatum  
 12 plusquam Pierio furore nuper  
 13 effudisse, quibus vel ipse cedat  
 14 meus Naugerius, meusque Bemus.  
 15 Quae si sunt mihi nuntiata vere,  
 16 plurimum tibi gratulor : sed idem  
 17 irascor tibi non minus, quod isthaec  
 18 celas Flaminium. Sed heus amice,  
 19 num reddit furor iste te superbum ? Et  
 20 nos vates minimi videmur esse  
 21 indigni quibus haec legenda mittas ?  
 22 Sed contra, furiose, sic habeto :  
 23 Musarum furor haud facit superbum,  
 24 sed comem, et facilem. Vide ergo, Benti,  
 25 ne tuus furor iste sit cerebri,



26 qui feros facit et malos poetas.

AD HIERONYMUM FRACASTORIUM

C5\_51 v.1 Frastori venerande, cui medendi  
 2 usum pulcher Apollo, carminisque  
 3 artem donat habere, nonne cernis,  
 4 tuum Flaminium perire dira  
 5 tabe ? Non recreat cibus misellum ;  
 6 non grata vigiles quiete ocelli  
 7 teguntur : macie vides suprema  
 8 corpus confici, ut umbra inanis esse  
 9 jam plane videar ; modisque miris  
 10 pallor occupat ora ; languidosque  
 11 artus vix traho ; nec juvare possunt  
 12 dulci carmine candidae Camoenae,  
 13 nec blando alloquio boni sodales :  
 14 ipsa sed mihi lux amara, et atrae  
 15 noctis tempora sunt amariora  
 16 felle, et Thessaliae malis venenis.  
 17 At tu, candide amice, vel sodali  
 18 fer tuo auxilium, vel ipsa morbi  
 19 si vis tabifici recepta venis,  
 20 humanis opibus, magistrae et arti  
 21 nescit cedere, carminum tuorum  
 22 lepore advoca Apollinem, rogaque  
 23 ne prima miserum sinat juventa  
 24 tam crudeliter interire. Cur ah  
 25 cultorem patitur suum sub ipso  
 26 flore aetatis abire maestum ad umbras  
 27 pallentes Erebi ? Quid ergo prodest  
 28 ipsi, et Aoniis suis puellis  
 29 cuncta posthabuisse ? Quidve prodest  
 30 vita puriter acta ? Nunc misello  
 31 nunc o subvenias, Apollo sancte,  
 32 et preces teneri tui poetae  
 33 audi dexter. Opaca sive Cynthi  
 34 umbra, sive Heliconii recessus  
 35 te tenent nemora aureo sonantem  
 36 plectro carmina, quae beata lauri  
 37 discit silva, ades o deum voluptas,  
 38 ades numine dextro, et imminentem  
 39 Orcum jam capiti meo repelle ;  
 40 ut Frastorius ob suum sodalem  
 41 salvum et incolumem tibi rependat  
 42 mille carmina, te canens, tuamque  
 43 matrem, et virgineos tuae sororis  
 44 mores, et studia, et pharetram, et arcum, et  
 45 currum noctivagum aurea inter astra,  
 46 quo se candida diva fert Olympi  
 47 per campos, lavis ipse cum rubente  
 48 fessas Oceano tuas quadrigas.

## AD HIPPOLYTUM ATESTINUM CARDINALEM

C5\_52 v.1 Clara semideum propago avorum,  
 2 Romani decus inclytum Senatus,  
 3 o si praeteritam mihi juventam  
 4 di magni referant, oloris instar  
 5 cum vox dulce sonans fluebat ore  
 6 gaudens Aeolio sacrare versu  
 7 heroum benefacta, non mehercle  
 8 indictas sinerem tuas canendo  
 9 laudes : te mea Musa dulcis omnes  
 10 ferret per populos, tuumque nomen  
 11 astris insereret. Sed alba utrisque  
 12 serpens temporibus senecta cantum  
 13 abstulit mihi, spiritumque, Phoebi  
 14 munus, in vacuas fugavit auras.  
 15 Quare ne tenuem tuos honores  
 16 jam factus nimium malus poeta,  
 17 illos suspiciam, pater, silendo.

## AD LAELIUM ET HIPPOLYTUM FRATRES CAPILUPOS

C5\_53 v.1 Fratres optimi, et optimi poetae,  
 2 nec minus boni amici, et iidem amati  
 3 ob mores lepidos, et elegantes  
 4 amicis mage, quam suas puellas  
 5 lascivi juvenes amant, quid, oro,  
 6 quidnam consilii datis ? Solemus,  
 7 ut fit, ludere versibus, remisso  
 8 nonnumquam studio severiore.  
 9 Hos versus alii probant, eosdem  
 10 improbant alii : ipse, utris habenda  
 11 fides, nescio ; sed fidele vestrum  
 12 sequar consilium, boni sodales,  
 13 quos docti merito hujus eruditi  
 14 aevi Quintilios solent vocare.  
 15 Ergo mitto mearum ineptiarum  
 16 partem : vos legite, atque utrum relinquam  
 17 hoc ludi genus, an sequar, monete.

## LIBER SEXTUS

## AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

C6\_1 v.1 Farnesi inclyte, forsitan videbor  
 2 jure stultus, ineptus, impudensque,  
 3 ausim qui tibi semper occupato  
 4 meis versiculis molestus esse.

5 Verum ad jugera multa quae dedisti  
 6 agri fertilis, id mihi, patrone  
 7 magne, addas, rogo, munus, ut pusillum  
 8 hoc meae pietatis, atque amoris  
 9 pignus accipias. Neque esse possum  
 10 ingratus, neque di boni dederunt,  
 11 ut possem meliusve, apertiusve  
 12 id ostendere, quam tibi libellum  
 13 hunc si mitterem. Id ipse ne recusa  
 14 boni consulere, et tuum clientem  
 15 perge, ut hactenus, obsecro, tueri.

## AD MUSAS

C6\_2 v.1 Unde hic tam novus advenit  
 2 ardor ? Quove mihi mens trepidans abit ?  
 3 Jam jam moenia Romuli,  
 4 et coetus hominum linqere gestio.  
 5 En dulcis Polyhymnia  
 6 Phoebos iterum me rapit ad specus,  
 7 et pulsare jubet diu  
 8 desuetam Aeolio pectine barbiton.  
 9 Ut fontes mihi Thespios,  
 10 et Cirrhea libet antra revisere,  
 11 silvamque Aoniam, pater  
 12 quam Phoebus tenet, ac virgineus chorus  
 13 Nympharum, citharae quibus  
 14 et permixta placent carmina tibiis !  
 15 O dextro mihi numine  
 16 adsitis, superum deliciae ! Haud ego  
 17 iram fortis Achillei,  
 18 vel Graiis jaculantem Hectora puppibus  
 19 ignem, aut terrigenum impia  
 20 Titanum cupio dicere proelia :  
 21 Farnesi decus incltyti  
 22 alis Pindarici tollere carminis  
 23 ad caeli vaga sidera  
 24 fas sit, Pierides : tunc licet ultima  
 25 Parcae fila legant mihi,  
 26 vivet nemo mea sorte beatior.

## AD STEPHANUM SAULIUM ET ULYSSEM BASSIANUM

C6\_3 v.1 Sauli candide, tuque Bassiane  
 2 mi dulcissime, numquid, oro, scitis  
 3 vestrum Flaminium repente factum  
 4 ditem jugera magna possidere  
 5 agri fertilis, et domum venustam  
 6 divini juvenis benignitate ?  
 7 Me Farnesius incltytus beavit,  
 8 et Musas colere otiumque dulce  
 9 jussit. Quas igitur referre grates  
 10 dignas ; quas agere, aut habere possim ?  
 11 Nullas scilicet. At licebit hercle

12 virtutesque tuas, tuasque laudes,  
 13 Farnesi venerande, praedicare.  
 14 Quod si det mihi spiritum benignus  
 15 pater Castalii chori, et canenti  
 16 vires sufficiat, profecto vives  
 17 semper in lepidis meis libellis,  
 18 dum vivent monumenta litterarum.

DE SAXIS ROMAE NUPER REPERTIS

C6\_4 v.1 Haec saxa publicis notata litteris,  
 2 quibus triumpho consulesque origine  
 3 ab ultima indicantur ad novissimam  
 4 Octaviani Caesaris diem, tibi  
 5 Farnesius Alexander e Fori eruta  
 6 altis ruinis, magna Roma, dedicat,  
 7 ut sint decusque, civiumque acerrima  
 8 ad aemulandam gloriam incitatio.

DE LIBERALITATE ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS

C6\_5 v.1 Dilectus Phoebos et Musis, sed pauper Iolas,  
 2 et semper domini pascere suetus oves,  
 3 nunc dives pecoris Farnesi munere factus,  
 4 factus et illius munere dives agri,  
 5 divino juveni meritis pro talibus ipsam  
 6 et vocem, et calamos, ingeniumque dicat.

AD AGELLUM SUUM

C6\_6 v.1 Umbriferae platani, et formosae cyparissi,  
 2 antraque muscosis roscida pumicibus,  
 3 non mea vos Nymphas resonare docebit avena  
 4 amplius : ad cantum me vocat alter amor.  
 5 Farnesi virtus mihi dulcem in pectore flammam  
 6 suscitatur : hunc ignem dulcis avena canet.  
 7 Vos nomen juvenis divini discite : laudes  
 8 semper et illius, pulcher agelle, sona.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

C6\_7 v.1 Farnesi, nomenque tuum, laudesque sonabit  
 2 hoc nemus, et culti vallis amoena soli,  
 3 dum potero meminisse, tuo quod munere dives  
 4 Musas, et Musis otia grata colo.

AD EUMDEM

C6\_8 v.1 Has tibi odoratas, Farnesi magne, corollas  
 2 Mittit ab Aonio candida Musa jugo,  
 3 quod carum Nymphis tua virtus ditat Iolam

4 restituens patrii dulcia rura soli.  
 5 Haec cape nunc, majora dehinc habiturus : Iolae  
 6 tu modo praesenti numine semper ades.

## AD EUMDEM

C6\_9 v.1 Pauperies, hominum fera pestis, et ira deorum,  
 2 excruciare malos nata, bonosque simul,  
 3 quaere alias sedes ; nam te Farnesius heros  
 4 amplius in nostra non sinit esse domo.  
 5 Ecce venit properans pleno laetissima cornu  
 6 Copia, quam sequitur dulcis et alma Quies.  
 7 Illa timere famem diram vetat : altera mandat  
 8 ut Phoebo, et Musis otia digna colam.  
 9 Magnus Alexander, magna haec qui donat habere,  
 10 jure mihi magni numinis instar erit.

## AD EUMDEM

C6\_10 v.1 Ne mea, Farnesi, properent ad carmina Nymphae,  
 2 neve meas curet Pan Tegeaeus oves,  
 3 si mea te praeter cantabit fistula quemquam,  
 4 si mihi non magni numinis instar eris.  
 5 Et merito ; mihi solus enim facis otia, solus  
 6 tristitiam longe, pauperiemque fugas.

## AD BERNARDINUM MAPHAEUM

C6\_11 v.1 Pone modum, Maphae, tuis hortatibus, et me  
 2 scribendi finem jam sinito facere.  
 3 Non ego sum Musis inimicus : semper amavi  
 4 haec studia, et magno semper amore colam ;  
 5 sed veluti solitus cursu praevertere ventos,  
 6 atque referre domum praemia fortis equus  
 7 deficit, infirmae cum sensit damna senectae,  
 8 et genua amissis viribus aegra trahit :  
 9 sic ego, qui doctis solitus certare poetis  
 10 dulcia Musarum praemia saepe tuli,  
 11 nunc fessus jaceo morbo gravis, et gravis annis ;  
 12 ad bona nec vires carmina sufficiunt.  
 13 Haec est ingrati justissima causa silenti,  
 14 hoc, Maphae, mihi nomine danda quies.

## AD HIERONYMUM SAULIUM PONTIFICEM BARI

C6\_12 v.1 Siquid de Stephano tuo, patrone  
 2 Dulcis, est tibi nuntiatum, id oro  
 3 ne celaveris. An febris laborat  
 4 ille, ut rumor ait, procul paterna  
 5 domo, affinibus, et bonis amicis ?  
 6 O deus mihi si quis addat alas,  
 7 ut volem citus ultimas ad oras

8 Galliae, quibus is jacere fertur,  
 9 ipsi ego omnia fratris, et parentis  
 10 praestarem officia ; et juvaret una  
 11 mori et vivere. Nam quid esse gratum  
 12 queat te sine, amice amate nobis,  
 13 quantum vix Pylades Orestem amavit ?  
 14 Sed quidquid metuo, ferant procellae  
 15 ad Parthos, Arabasque ; tuque Sauli,  
 16 alterum Genuae decus, clientem  
 17 bonum siquid amas, tuis jubeto,  
 18 quidquid de patruale nuntiatur,  
 19 id dicant mihi. Sic superba Roma  
 20 jam solvat tibi debitos honores.

## AD MATTHAEUM DANDULUM

C6\_13 v.1 Care Dandule, quid moraris ? Aestas  
 2 maturare jubet propinqua : verum  
 3 ni fallor, tibi Paulla dulcis uxor  
 4 has moras facit. Heu misella ! Solam  
 5 domi tene manere ? Te videbit  
 6 numquam Sol oriens cadensve laetam,  
 7 dum conjux aberit cupitus ; et cum  
 8 lassulam excipiet torus, doloris  
 9 non lenimen erit, sed usque amaris  
 10 ille lacrimulis tuis madescet.  
 11 Sic flet turtur, acuta cui tenellum  
 12 comparem abstulit aucupis sagitta.  
 13 Sed tu desine flere ; non maritus  
 14 trans Alpes graditur feras, ut olim,  
 15 sed Tuscum Tiberim, et beata Romae  
 16 viset moenia missus a potente  
 17 orator patria. Hic salubre caelum,  
 18 hic est maxima civium suorum  
 19 semper copia, et hinc tribus diebus  
 20 ad te, si velit, is redire possit.  
 21 Quare sis animo bono, atque euntem  
 22 fausto prosequare omine, et rogato  
 23 votis assiduis Deum, benignus  
 24 ut salvum tibi conjugem reducat.

## AD DONATUM RULLUM

C6\_14 v.1 Quid, o Rulle, sodalium tuorum  
 2 spem ludis toties ? Ego, Priulus,  
 3 Stella, Parpaliasque, Madiusque,  
 4 omnes denique te putaveramus  
 5 Danduli comitem esse, ut ambo eratis  
 6 nuper polliciti : sed ille cum te  
 7 non adduxerit, haud profecto scimus,  
 8 plusne laetitiae, an doloris ejus  
 9 adventus ferat. Illum adesse multum  
 10 laetamur ; sed abesse te dolemus  
 11 tantum, ut gaudia diluantur ipsa

12 valde tristitia. Veni ergo tandem,  
 13 Rulle care, cupite, nosque amicos  
 14 maerentes hilara tuo lepore ;  
 15 quodque ab officio lucratus es jam  
 16 cognomen tibi pluris aestimandum  
 17 thesauris Arabum, Indiaeque gemmis,  
 18 id tu si retinere vis, amice,  
 19 cave, durus, et asper esse pergas.

## AD ULYSSEM BASSIANUM

C6\_15 v.1 Ergo, candida Bassiane, vivis ?  
 2 O cara mihi carior salute,  
 3 jucundissime Bassiane, vivis ?  
 4 Dulcis littera, litteris notanda  
 5 aureis, mihi nuntiasne vere  
 6 meum vivere Bassianum ? At illum  
 7 rumor dixerat esse jam sepultum.  
 8 Rumor pessime, paene me sepulcro  
 9 dedisti mala tanta nuntiando.  
 10 O factum bene ! Bassianus ille  
 11 Phoebi deliciae, perire numquam  
 12 dignus, en superum benignitate  
 13 vivit. Flaminio tuo superstes  
 14 vivas o utinam, venuste amice ;  
 15 nec de te mihi fama tale quidquam  
 16 posthac nuntiet. Ipse vitam in istam  
 17 veni te prius, hinc prius recedam.  
 18 Te spectem moriens : meos tu ocellos  
 19 cara claude manu ; piis sepulcrum  
 20 humecta lacrimis ; diuque vive.  
 21 Te superstite, Bassiane care,  
 22 non omnis moriar, meique magna  
 23 pars vivet, mihi crede, adhuc superstes.

## AD IOANNEM BAPTISTAM PHILIARCHUM

C6\_16 v.1 Dic oro, Philiarche mi, virorum  
 2 quotquot Tuscia vel tulit, feretve,  
 3 candidissime, num domus paterna,  
 4 et domestica gaudia, et tuorum  
 5 aspectus tibi profuere tantum  
 6 ut illa assidua, et periculosa  
 7 destillatio cesserit ? Suerunt  
 8 saepe laetitiae fugare morbos  
 9 longe fortius arte quam saluber  
 10 Phoebus instituisse, filiusque  
 11 Phoebi dicitur. Hoc tibi secundus  
 12 si Deus dedit, o nimis beatum  
 13 sodalem tuum, et o nimis benignum  
 14 tuo Flaminio Deum ! Profecto  
 15 nil mihi poterat mage expetitur  
 16 votis omnibus evenire ; non si  
 17 frater deliciae meae relicto

18 sepulcro ad superas redisset auras.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM

C6\_17 v.1 Ne vivam, bone Ludovice, ni me  
 2 et mei miseret tuique ; nam quis  
 3 Deus, vel mala sors utrumque semper  
 4 captivum tenet Urbis in tumultu ?  
 5 Si nos ambitio, pecuniaeve  
 6 augendae premeret sitis, tacerem :  
 7 sed cum divitiis honoribusque  
 8 magnis otia praeferamus, ah cur  
 9 Romam praeferimus meo Lavino,  
 10 Albinoque tuo ? O venusti agelli  
 11 Musarum domus, et quies laborum  
 12 tam longe mihi vita num manebit,  
 13 ut meos satiare possim ocellos  
 14 vestro dulci, et amabili decore ?  
 15 O tandem placida, et beata rura,  
 16 nos carum accipite in sinum, nec ulla  
 17 vis avellere possit. Hic et haedo,  
 18 et pomis, oleaque, pensilique  
 19 uva nos alite, et simul supremum  
 20 tempus venerit, ossa sub virenti  
 21 lauru condite, qua fugit per herbas  
 22 suavem rivulus excitans susurrum.

AD HERCULEM SEVEROLUM

C6\_18 v.1 Herculi, mea Musa, fer sodali  
 2 haec bono bona dicta, quod Favoni  
 3 jam tepor rediit, tulitque secum  
 4 dulcis tempora veris. Urbe Roma  
 5 tuos Flaminius relictas agellos  
 6 suos visere cogitat, paterna  
 7 quos domus tua cernit : ipse vero  
 8 quid tandem facies ? Tumultu in isto  
 9 nimirum remanebis, et clientum  
 10 magnis agminibus premere semper.  
 11 O tandem sapias tibi, tuaeque  
 12 vitae consule. Non vides, ut aetas  
 13 labitur fluvii rapacis instar,  
 14 quem nives aluere ? Quid laboras  
 15 ergo divitias parare inanes ?  
 16 Cum tantum patrimonii relictum  
 17 a tuo tibi sit parente, quantum  
 18 est satis ; sine vulgus imperitum  
 19 falsa imagine ludi : at ipse, mentem  
 20 cui Deus dedit expolire pulchris  
 21 artibus, patriam revise caram,  
 22 fratremque unanimem, bonosque amicos ;  
 23 et dulci fruire otio, libellis  
 24 parvis Vergiliique, Tulliique  
 25 mutans magna volumina illa legum,



26 quae lassare valent feros gigantes,  
27 et vires adamante firmiores.

AD FABRITIUM BRANCUTIUM

C6\_19 v.1 O diem niveum, et nimis beatum,  
2 quo tam suaviter, atque delicate  
3 simul viximus, o venuste amice,  
4 dum curis procul omnibus fugatis  
5 dulci colloquio, facetiisque  
6 horas fallimus ! Hoc modo poetae  
7 ferunt Elysiis pios viretis  
8 aevum degere. Di boni, ac benigni,  
9 vos opes aliis date atque honores :  
10 nobis assidue videre lucem  
11 hesternae similem, est satis, superque.

AD IOANNEM FRANCISCUM CASERTAM DE URBIS CASERTAE AGRO

C6\_20 v.1 Quid tantis precibus, Caserta, carum  
2 vocas Flaminium Casertae ad agros ?  
3 Te desiderium quidem fruendi  
4 mei sollicitat ; sed ipse tanto  
5 magis te cupio videre, quanto  
6 es me amabilior. Quid ? Ista vestra  
7 tam felicia, tam venusta rura  
8 quem non alliciant suo lepore ?  
9 Adde quod mihi reddidere vitam,  
10 cum vis tabifica intimis medullis  
11 serpens, lurida membra devoraret.  
12 Istic et mihi Musa tam benigno  
13 semper numine favit, ut canentem  
14 stuperent Dryades, meumque pictis  
15 ornarent Satyri caput corollis.  
16 Quae tellus igitur tuo sodali  
17 queat gratior esse ? Nulla certe.  
18 Nec tamen venio, negotiorum  
19 dura compede vinctus : at venire  
20 cum primum dabitur, volabo, teque  
21 revisam et tua rura, amice dulcis,  
22 non minus cupide, suam puellam  
23 quam visit juvenis, locum in remotum  
24 quem coegerat ire vis paterna,  
25 siqua forte revinctam amore mentem  
26 posset solvere filii furentis.

AD SEBASTIANUM CONRADUM

C6\_21 v.1 Jampridem Stephanus Columna, princeps  
2 clarus militiae, domique, doctum  
3 quaerit filiolis suis magistrum,  
4 nec doctum modo, sed pium, et venustis  
5 cultum moribus. Hic labore parvo

6 non parvum faciet lucrum ; quotannis  
 7 nam sestertia quina consequetur,  
 8 patronumque sibi parabit auri  
 9 magno pondere pluris aestimandum.  
 10 Hunc tu si potes invenire, ad Urbem  
 11 statim mitte. Peritus, elegansque,  
 12 et vir non malus ille sit, necesse est,  
 13 quem tu iudicio tuo polito,  
 14 vir doctissime et optime, approbaris.

## AD LAURENTIUM GAMMARUM

C6\_22 v.1 Quod numen male amicum, amice care,  
 2 hanc mentem tibi misit, ut relicta  
 3 Roma, frigore saeviente adires  
 4 ad gentem horribilem, trucemque ? Tune  
 5 vates candide, cui Marone digna  
 6 Phoebus scribere donat, efferata  
 7 ista in Barbaria morare ? Quis jam  
 8 neget, sidera celsa posse Olympo  
 9 labi Tartara in ima ? At inscientem  
 10 ne malus male perdat error, audi  
 11 quid Phoebus pater, et novem Camoenae  
 12 praedicant tibi : Si manere pergis  
 13 istic, ex lepido, et bono poeta  
 14 fies Maevius, et tuos libellos  
 15 vitabit lue pejus et veneno  
 16 quidquid est hominum elegantiorum.

## AD BARTHOLOMAEUM RICCIUM

C6\_23 v.1 Ah jam rumpe silentium, jocose  
 2 olim, nunc nimium severe Ricci.  
 3 Num tu sic veterum flagras amore,  
 4 ut Tulli puta Caesarisque, vivos  
 5 ut jam pro nihilo putes amicos ?  
 6 At hoc Tullius improbat, jubetque  
 7 te sui cupidos habere caros,  
 8 nec solum cupidos sui, sed omnes  
 9 quos virtus aliqua, probique mores  
 10 adjunxere tibi. Sed heus, amice,  
 11 quid rerum geritur ; notare pergin'  
 12 quidquid ad proprie, eleganter, apte  
 13 loquendum valet ? Id beare lingua  
 14 nos praedivite, id est Latinitati  
 15 suos reddere pristinos honores.  
 16 Quare per Ciceronis, et Terenti  
 17 Manes te rogo, perge, finibusque  
 18 pelle barbariem Italae, Latinae  
 19 linguae te veneremur ut patronum.

## AD PETRUM MYRTEUM

C6\_24 v.1 Te consanguineum meum esse jactas,  
 2 et hoc nomine gratiam aucuparis  
 3 per urbes Italas ; meique amici  
 4 dant tibi hospitium, pecuniamque,  
 5 quam statim male dissipas. Sed audi,  
 6 mendax Myrtee, cujus et parentes  
 7 ignoro, et patriam, genusque ; si tu  
 8 vir frugi incipis esse temperansque,  
 9 quin fias mihi filius, neposve  
 10 non recuso equidem : sed esse pergis  
 11 si nequam, et balatro impudens, caveto,  
 12 ausis dicere te meum propinquum,  
 13 ne laesa patientia furentem  
 14 Camoenam experiare. Num ferendum est,  
 15 falso nomine te propinquitatis  
 16 meae ad flagitia, et dolos abuti ?

## AD ALEXANDRUM PICCOLOMINEUM

C6\_25 v.1 O si dent mihi caelites, ut, ante  
 2 Hora quam veniat suprema, vere  
 3 fiam talis, amice, qualis a te  
 4 pulchro carmine pingor ! Esse talis  
 5 et certe cupio, et laboro : verum  
 6 ad hanc usque diem meo labore  
 7 nihil proficio. Timor, cupido,  
 8 cordis gaudia vana, itemque vani  
 9 dolores magis in dies, et horas  
 10 mentem sollicitant misellam : in alto  
 11 sic Notus, Boreasque saeva quondam  
 12 miscent proelia. At ipse fluctuantem  
 13 tranquilla, sapientiae serenans  
 14 cor meum monitis, quibus Lycei  
 15 magister nitidi tuum replevit  
 16 ob id pectus, ut ipse mente sana  
 17 aegrotis animis queas mederi.

## AD AUGUSTUM COCCEIANUM

C6\_26 v.1 Sic te, candide amice, nullus umquam  
 2 caelesti Sophiae, patrique Phoebo  
 3 possit carior esse, dic amabo,  
 4 num vere mihi dixit Hadrianus,  
 5 te describere quidquid ipse ludo  
 6 molli carmine per jocum, atque risum ?  
 7 Hoc tu si facis, o nimis beatam  
 8 Musam Flaminii ! Graves, protervi,  
 9 mordaces critici, venena dentis  
 10 vestri nil metuo ; quod approbarit  
 11 Augustus meus, id probent, necesse est,  
 12 et Phoebus pater, et novem Camoenae.

## AD FERNANDUM TORREM

C6\_27 v.1 Fernande optime, noster hic libellus  
 2 jamdudum cupit ad tuos penates  
 3 ire, quod soleat favere nemo,  
 4 ut tu, versiculis meis, eosque  
 5 tantis tollere laudibus : sed hercle  
 6 si rem iudicio tuo eleganti  
 7 aptam vis gerere, arrogantis hujus  
 8 spem falles, calami notans litura  
 9 severe omnia, quae minus Latine,  
 10 aut garrere putabis infacete  
 11 Musam putidulam tui sodalis,  
 12 qui te non minus ac suas medullas  
 13 propter eximium tuum leporem  
 14 amat ; sed tamen addet huic amori  
 15 ingentem cumulum, suum libellum  
 16 si tractaveris ut supra rogavit.

## AD CAMILLUM RASTELLUM

C6\_28 v.1 Quis haec carmina tam venusta donat  
 2 tibi scribere ? Non magistra certe  
 3 ars tantum valet ; et juvena molli  
 4 vix lanugine vestit ora. Phoebus  
 5 ergo Phoebus, amabili lepore  
 6 tuo captus, habere dat poetae  
 7 nomen, numine te, Camille, dulci  
 8 afflans. Sic Maro, sic tuus Tibullus  
 9 ludebant pueri suis Camoenis  
 10 olim carmina digna : sic et Orpheus  
 11 vix primam attigerat tener juventam,  
 12 cum docta fide rivulos morantem  
 13 viderunt Dryades, simulque myrtos  
 14 formosi pueri lyram sequentes ;  
 15 qua post et rigidas agebat ornos,  
 16 et fugam volucris tenebat Hebri.  
 17 Ergo tu quoque perge ; crescet aetas,  
 18 Phoebi crescet amor, bonique vires  
 19 crescent ingenii, tuumque fama  
 20 nomen inseret optimis poetis.

## AD FRANCISCUM ROBORTELLIUM

C6\_29 v.1 Gratulor, tua vota liberales  
 2 audivisse deos : in urbe vives  
 3 qua nullam neque terra pulchriorem  
 4 nec latum mare fert. Docebis illic  
 5 prolem nobilium, vetusta quidquid  
 6 servant Graeca volumina, et Latina  
 7 scriptum puriter, eleganter, apte.  
 8 At Canicula cum furit, relicta  
 9 urbe quam mare cingit, ad liquentem

10 Mesulum properabis, ut tepore  
 11 veris perpetuo fruare. Sicus,  
 12 elegans juvenis, domo venusta  
 13 te laetum excipiet libens. Sed aedes  
 14 tui Flaminii simul videbis,  
 15 flens dices : "Mihi carior medullis  
 16 meis candide Marce, quid morari  
 17 gaudes tam procul a domo paterna ?  
 18 Non te nutriit hic tenella mater ?  
 19 Non hanc ludere per viam solebas  
 20 puer cum pueris ? Quid ergo dura  
 21 caute durior hinc abes tot annos ?  
 22 Si quis te deus huc repente sistat,  
 23 o quae gaudia, qui forent utrimque  
 24 sermones ! Age mitte jam querelas,  
 25 Robortelli ; aderit volens, nec a te  
 26 latum Flaminus recedet unguem,  
 27 dum frui poterit tuo lepore.

AD ADAMUM FUMANUM DE OBITU VIOLANTILLAE UXORIS ROMULI AMASAEI

C6\_30 v.1 Invitus tibi dico, Adame ; nostri  
 2 Romuli periit pudica conjux,  
 3 tam pudica, domusque tam regendae  
 4 sciens, tam sobolis ferax venustae,  
 5 quam facundus, et artium est bonarum  
 6 doctus, qui fuit illius maritus.  
 7 Hoc docente bonus poeta factus,  
 8 oratorque bonus, bonum magistrum  
 9 consoleris oportet et soluto,  
 10 et juncto pede. Sic levabis aegram  
 11 mentem illius, et eloquentis ipse  
 12 et pii simul assequere nomen.

AD MARIUM SAVORNIANUM

C6\_31 v.1 Martis deliciae, Minervae amores,  
 2 Mari candide, pessimus poeta,  
 3 sed vir sat bonus, ut reor, tuoque  
 4 non indignus amore, amoris ardens  
 5 flamma ob mirificum tuom leporem,  
 6 cui cedunt reliqui omnium lepores,  
 7 a tua petit hoc benignitate,  
 8 non parem ut tribuas amorem amanti,  
 9 sed ut te patiare amari ab ipso,  
 10 quanto maximo amore ab ullo amari  
 11 potest, qui sit amore summo amandus.

AD FRANCISCUM TORELLUM

C6\_32 v.1 O flos candide Galliae togatae,  
 2 ante annos animum gerens virilem,  
 3 quid ah quid juvat Urbe abesse ? Qua Sol

4 nihil nobilius videbat olim,  
 5 nec idem videt, aut videbit umquam,  
 6 toto quod queat orbe comparari.  
 7 Haec te nutriit, haec domo paterna  
 8 tibi carior esse debet ; ipsa  
 9 nam te sola capit, tuaeque gestit  
 10 virtuti dare debitos honores.  
 11 Quare, si sapis, advola, et cupito  
 12 nos omnes hilara, Torelle, vultu.

AD MARCELLUM CERVINUM ET FRANCISCUM SFONDRATUM CARDINALES

C6\_33 v.1 Quod Faernum, hominem bonum, atque doctum  
 2 amo non secus atque memet ipsum,  
 3 ejus gaudeo commodis perinde  
 4 ac meis propriis : quod ergo per vos  
 5 summo a principe consecutus ille est  
 6 quidquid ad bene, commodeque agendam  
 7 vitam optabat, id hercule obligavit  
 8 me vobis ita, candidi patroni,  
 9 ut devinctior esse nemo possit.  
 10 At vos qua pietate jam tueri  
 11 coepistis lepidum meum sodalem,  
 12 eadem pietate, firma ut haec sint  
 13 et perennia dona, providete.

AD BERNARDINUM MAPHAEUM CARDINALEM

C6\_34 v.1 Quantum gaudet amans, suae puellae  
 2 casto conjugio potitus ; aeger  
 3 quantum gestit ab imminente fato  
 4 ereptus subita medentis arte ;  
 5 tantum Flaminius cliens galero  
 6 gaudet purpureo, Maphaeae, summa  
 7 quem virtus tibi tradidit, Deumque  
 8 votis omnibus orat, ampliorem  
 9 ut tibi ferat hic honos honorem.

AD PETRUM CARNESECUM DE MARGARITA HENRICI GALLORUM REGIS SORORIS

C6\_35 v.1 O felix mea ter, quaterque Musa,  
 2 cujus versiculos puella Regis  
 3 maximi soror, utriusque linguae  
 4 peritissima, cantat ! Hoc beato  
 5 nuntio super alta sustulisti  
 6 caeli sidera, Carnesece, carum,  
 7 vetustum, unanimem tuum sodalem.  
 8 I nunc, pessime livor, i, libellos  
 9 meos carpere perge ; Margarita  
 10 dum me judicio suo tuetur,  
 11 vos tantum et maledicta vestra curo,  
 12 mordaces critici, Libyssa quantum  
 13 latrantis catuli leaena vocem.

## AD ALBERTUM LINUM

C6\_36 v.1 Quod petis, Line mi venuste, carmen,  
 2 id feci lateris dolore pressus ;  
 3 non captans hominum eruditiorum  
 4 plausus, sed venerans Deum, eleganter  
 5 qui dictum putat esse, quidquid ore  
 6 pio dicitur. Hoc tibi sequendum  
 7 prudens iudicium : at sequi superbos  
 8 si mavis criticos, inelegantes  
 9 versus, quos tibi mitto, non legendi.

## AD ALOYSIUM PRIULUM

C6\_37 v.1 Ah cur me lacrimis tuis, Priule  
 2 care, conficis ? Hoc tuo dolore  
 3 mors mihi fit amara, quam benigno  
 4 Deus numine donat esse dulcem.  
 5 Una viximus arcto amore juncti,  
 6 qualem Sol radians ab ultimo Indo  
 7 vix cernebat ad ultimum Britannum.  
 8 Nos unum studium, una nos voluntas  
 9 fecit unanimes. Nihil placebat  
 10 uni, quin idem amaret alter. Una  
 11 nos domus tenuit, alebat una  
 12 mensa. Laetitiae, dolor, secunda,  
 13 adversa unius alterum movebant ;  
 14 ut numquam minus hic doleret illo,  
 15 gauderetve. Sed haec prius fuere :  
 16 nunc caeli vocor ad domos beatas,  
 17 ubi me vario labore functum  
 18 manent gaudia sempiterna. Quare,  
 19 si cordi tuus est tibi sodalis,  
 20 pone flebilibus modum querelis,  
 21 et plausu aethereas euntem ad arces  
 22 laeto prosequere, et piam labora  
 23 vitam vivere, mox simul futurus.

## AD RANUTIUM FARNESIUM CARDINALEM

C6\_38 v.1 Tune, Romula quem colit juvenus,  
 2 Pauli maxima Tertii voluptas,  
 3 et Graiis simul, et simul Latinis  
 4 Musis care, meam salutem amore  
 5 tanto amplecteris, ut periculosa  
 6 febris, et lateris mei dolores  
 7 te semper crucient ? Misella nato  
 8 sic parens timet unico, fatigans  
 9 fletu numina cuncta pro salute  
 10 dulcis filioli periclitante.  
 11 Hoc pium officium, tuasque laudes,  
 12 si mors abstineat manum rapacem,

13 et Phoebus faveat, tegent tenebris  
 14 nulla saecula. Micabit omne in aevum  
 15 Farnesi decus inclytum Ranuti,  
 16 ut pulchro radians Eous igni.

## AD PHILIPPUM BONUM PONTIFICEM FAMAUGUSTAE

C6\_39 v.1 O qui nomine, mente, moribusque  
 2 es bonus, mihi quam venis cupitus !  
 3 Ut te conspicio libenter ! Ut me  
 4 morbo letifero diu gravatum  
 5 aspectu recreas tuo, tuisque  
 6 gratis alloquiis ! Tenella virgo  
 7 sic florem aridulum imminente morte  
 8 liberat, gelidum irrigans liquorem :  
 9 sic gaudet patula viator umbra  
 10 aequosi nemoris, siticulosa  
 11 Terra iter faciens Canis sub ortum.  
 12 O quid carius est beatiusve  
 13 dulci amicitia ? Mihi periclo  
 14 tanto evadere si dabunt benigni  
 15 caelites, erit ipsa vita cara,  
 16 ut frui liceat bonis amicis.

## AD HIERONYMUM TURRIANUM DE IOANNE PETRO CARAPHA CARDINALI

C6\_40 v.1 Quid piaae valeant preces, benignas  
 2 ut Dei penetrent supremi ad aures,  
 3 disce, candide Turriane, febris,  
 4 et saevus lateris dolor misellum  
 5 tuum Flaminium furore tanto  
 6 invasere, magistra ut ars medendi,  
 7 et quisquis levat aegra membra succus  
 8 cederent. Capiti meo imminebat  
 9 mors nigris tenebris operta : honorem  
 10 supremum mihi funeris parabant ;  
 11 infandum veteris sui clientis  
 12 cum casum miseratus ille magnus  
 13 Carapha, Italiae decus Carapha,  
 14 ad caelum geminas manus tetendit  
 15 multis cum lacrimis Deum salute  
 16 orans de mea ; et ecce acerba fugit  
 17 febris, et lateris dolor ; reffectae  
 18 vires ; et teneri mei sodales  
 19 cantu, et laetitia graves querelas  
 20 mutarunt lacrimasque. Amice dulcis,  
 21 dic laudes superum benignitati  
 22 pro vita mihi restituta ; et, aura  
 23 quod vescor placita, quod alma pulchri  
 24 solis lumina cerno, id omne magni  
 25 acceptum precibus refer Caraphae.  
 26 Gaudetis, teneri mei sodales,  
 27 me febrim, et lateris dolore summo  
 28 emersisse ; Dei sed ipse laetor



29 in primis bonitate singulari,  
 30 qui mentem dederit mihi paratam  
 31 corpus linqere, ne suo rebellis  
 32 pugnarem imperio. Pater supreme,  
 33 tua incoepa secunda, et usque eamdem  
 34 da mentem mihi, nil velim quod ipse  
 35 nolis ; nil renuam quod ipse mandes.  
 36 Hoc unum, unanimes mei sodales,  
 37 hoc unum ex misero facit beatum.

## AD SODALES SUOS

C6\_41 v.1 Gaudetis, teneri mei sodales,  
 2 me feбри, et lateris dolore summo  
 3 emersisse ; Dei sed ipse laetor  
 4 in primis bonitate singulari,  
 5 qui mentem dederit mihi paratam  
 6 corpus linqere, ne suo rebellis  
 7 pugnarem imperio. Pater supreme,  
 8 tua incoepa secunda, et usque eamdem  
 9 da mentem mihi, nil velim quod ipse  
 10 nolis ; nil renuam quod ipse mandes.  
 11 Hoc unum, unanimes mei sodales,  
 12 hoc unum ex misero facit beatum.

## AD RODULPHUM PIUM CARDINALEM

C6\_42 v.1 Hoc est, magne Rodulphe, liberalem  
 2 esse ; dum prope januam rapacis  
 3 Orci demoror, et salus miselli  
 4 desperata jacet, benignitate  
 5 summa das mihi fertiles agellos,  
 6 ut laetus moriar, meis relinquens  
 7 tanta munera dulcibus propinquis.  
 8 Non, non temporis hujus ista virtus ;  
 9 virtus Maeonio canenda versu,  
 10 non meis ita deterenda nugis.

## AD MICHAELEM SILVIUM CARDINALEM

C6\_43 v.1 O quantum tibi debeo, benigne,  
 2 dulcis, candide Silvi, amabilisque  
 3 quantum quis pote amari ! Acerba cum me  
 4 febris ureret, et dolor sinistri  
 5 vexaret lateris, meo dolore  
 6 dolebas ; meus ignis in medullis  
 7 ingentem tibi suscitabat ignem.  
 8 Nec cordi data pax misello, amara  
 9 pestis dum requiem mihi negavit.  
 10 O amor, pietasque digna dici  
 11 tuis carminibus, poeta summe !  
 12 Nam mihi tenuem nimis dederunt  
 13 Musae spiritum : at esse mente grata

14 et possum, et volo ; quare in omne tempus  
15 me totum tibi dedo, magne Silvi.

## AD FRANCISCUM SFONDRATUM CARDINALEM

C6\_44 v.1 Cum noster mihi Carolus referret,  
2 te dolor lateris meus dolore  
3 quanto affecerit ; et salus deorum  
4 mihi munere restituta quantum  
5 rursus laetitiae ferat ; profecto  
6 haec tui manifesta signa amoris  
7 tam meo cecidere grata cordi,  
8 ut jam letifero fuisse morbo  
9 vexatum, juvet, et recepta vita  
10 sit mi carior, esse quam solebat ;  
11 nam virtus tua rara, comitasque,  
12 et Musis animus dicatus almis,  
13 nec rebus minus acer in gerendis,  
14 sic mentem afficiunt meosque sensus,  
15 ut plane videar beatus esse,  
16 si tuo videor favore dignus.

## AD NICOLAUM RODULPHUM CARDINALEM

C6\_45 v.1 Rodulphi, decus omnium bonarum  
2 artium, tibi gratias habere  
3 dignas Flaminius nequiret umquam ;  
4 qui cum depositus jaceret, et jam  
5 mortis cuncta nigrescerent tenebris,  
6 agri jugera magna cum venusta  
7 domo ab eximia benignitate  
8 tua tam facile impetravit. Ergo,  
9 quod potest, tibi se, suamque Musam  
10 servitute, pater, dicat perenni.

## AD ANDREAM CORNELIUM CARDINALEM

C6\_46 v.1 Ecce Flaminius, tuum clientem,  
2 salvum, et incolumem, perire quem tu  
3 dolebas nimis intimo dolore,  
4 ut jam nec lacrimas tenere posses,  
5 nec dulcis tegeter quies ocellos ;  
6 quae tanti facio, graves labores  
7 ut non paeniteat subisse morbi.  
8 Nimirum tibi sic placere, laus est  
9 longe maxima, quem genus superbum  
10 ornat Scipiadam, probique mores,  
11 et fervens amor artium bonarum, et  
12 sacri purpura nobilis galeri.

## AD NINUM AMERINUM

C6\_47 v.1 Quod Musis, et Apollini venusto  
 2 agis carmine gratias, amice,  
 3 pro vita mihi reddita, nec alter  
 4 est te laetior, haud mihi videtur  
 5 mirum : nam pereunte me necesse est  
 6 bonam partem animae tuae perire.

## AD BARTHOLOMAEUM CAVALCANTEM

C6\_48 v.1 Magna pars animae meae, benignus  
 2 tibi vivere ad ultimam senectam  
 3 sic donet Deus, ut perire dulci  
 4 tuo Flaminio magis molestum  
 5 erat ob nimium tuum dolorem,  
 6 quam dulcedine vitae. Et esse mortis  
 7 caeco a limine restitutum ad alma  
 8 Solis lumina, id est mihi suave  
 9 in primis tui amore, luce cara  
 10 cui sum carior. Haec, amice rerum  
 11 jucundissime, veri amoris expers  
 12 verba dixerit esse blandientis :  
 13 at tu nil mage credis esse verum,  
 14 omnes qui superas amore amantes.

## AD LUDOVICUM BECCATELLUM

C6\_49 v.1 Jam jam desine mollibus querelis  
 2 fatigare deos, amice dulcis ;  
 3 nam victi citharae tuae canorae  
 4 modis flebilibus mihi negatam  
 5 vitam restituere, quae sub imas  
 6 jam terras fugiebat. Ergo vincis  
 7 docta Calliope satum, misellam  
 8 qui frustra Eurydicen profundo ab Orco  
 9 ad caeli placidas vocavit oras ;  
 10 quamvis et volucres teneret Euros  
 11 canendo, Eumenidasque mitiores  
 12 posset reddere bimulis puellis.

## AD DAMIANUM DAMIANIUM

C6\_50 v.1 O lux Trinacriae feracis, aegros  
 2 qui jam depositos rapacis Orci  
 3 eripis manibus, diuque sanos  
 4 jubes vivere, si mihi dedisset  
 5 Musa, pro meritis tuas canendo  
 6 laudes dicere, me beatiorem  
 7 nullum Roma videret ; et recepta  
 8 tuo munere vita cara, longe  
 9 mihi carior esset : at merenti  
 10 cum dignas nequeam referre grates,

11 quod unum superest, Deum rogabo,  
 12 ut sicut tibi prorogare vitam  
 13 humano generi, unica est voluptas,  
 14 sic te conjuge cum bona valentem  
 15 sinat vivere plurimos in annos.

## AD EMANUELEM CHIUM

C6\_51 v.1 Nec te, candide Chie, praeteribo,  
 2 qui rursus mihi das habere vitam  
 3 arte Paeonia, salubribusque  
 4 succis, officioque singulari.  
 5 Ut pastor rabidi lupi cruento  
 6 agnum deripit ore, sic voracis  
 7 Orci faucibus extrahis misellum  
 8 tuum Flaminium Deo juvante.  
 9 Quare dum mihi vita, quam dedisti,  
 10 suppetet, nihilo minori amore  
 11 te colam, optimus optimum parentem  
 12 quam natus colit ; et suprema quando  
 13 rursus venerit hora, quamquam amara  
 14 potes obliviam, non tamen licebit  
 15 tuae non memorem esse comitatis.

## AD FEDERICUM DONATUM

C6\_52 v.1 Quod spiro, Federice, quod tueri  
 2 datur lumina cara caeli, id omne  
 3 haud parte ex minima tibi libenter  
 4 acceptum refero : febris furebat ;  
 5 necabat lateris dolor ; supremam  
 6 horam jam mihi cuncta nuntiabant ;  
 7 cum tu, quam dedit ipse Phoebus, arte  
 8 morbum letiferum fugas, ut acer  
 9 spiritus Boreae tenebricosa  
 10 caelo nubila pellit. Ergo vitam,  
 11 quam mihi superum benignitate  
 12 donasti, tibi dono, meque totum  
 13 grata mente dico, meosque ad unum  
 14 omnes, qui pereunte me perissent.

## AD HIERONYMUM PONTANUM

C6\_53 v.1 Quo te nomine dicam, amice care ?  
 2 An senex juvenem vocem parentem ?  
 3 Qui feбри, et lateris dolore pressum  
 4 numquam deseris, assidens jacenti,  
 5 ut pullis avis. An vocem salubris  
 6 Phoebi sanguinem ? Ab imminente fato  
 7 qui me surripis, et valere donas.  
 8 Sis quocumque tibi placet, virorum  
 9 humanissime, nomine ; esse nullum  
 10 in terris modo iudices parentem,

11 qui plus filiolum sibi suprema  
 12 natum diligit unicum senecta,  
 13 quam te Flaminius suae salutis  
 14 patrem diligit. Hoc, amice dulcis,  
 15 non verum minus est, nitere Solis  
 16 quam lucem, aut tenebris diem fugari,  
 17 cum Nox caeruleo revecta curru  
 18 ocellis hominum irrigat soporem.

## AD IULIUM SAULIUM

C6\_54 v.1 O quantum gemui, venuste Iuli,  
 2 cum febris tua membra pasceretur,  
 3 nec finem faceret, diem supremum  
 4 intentans media tibi juventa !  
 5 Me tui miserebat et parentis  
 6 carae, qua mulier nec ulla vivit,  
 7 nec vivet melior : misella quantos  
 8 angores tulit audiens jacere  
 9 natum depositum ! Sed ecce vestram  
 10 dum vicem doleo, dolor sinistrum  
 11 invasit latus, et siticulosa  
 12 febris incubuit mihi per artus  
 13 furens, ut fera flamma cum vetustam  
 14 silvam corripuit semel, vagatur  
 15 vorans omnia. Nec tamen periculum  
 16 sic me perculerat meum, pericli  
 17 quin tui meminissem. Acerbus ergo  
 18 me dolor geminatus enecasset,  
 19 ni Deus miserans utrumque leto  
 20 praesenti eripuisset. Ille nobis  
 21 donat vivere : nos patri benigno  
 22 vitam, et omnia nostra consecremus.

## AD FEDERICUM ELEPHANTUTIUM

C6\_55 v.1 Quod solet, Federice docte, fama  
 2 mali nuntia latius vagari,  
 3 illam suspicor ad tuas tulisse  
 4 aures, Flaminium jacere febris  
 5 confectum et lateris dolore, nec jam  
 6 ullam spem reliquam salutis esse ;  
 7 quo tuo mage nil acerbum amori  
 8 posset accidere. Ergo, mens misella  
 9 ut omnem abjiciat metum, sodali  
 10 de tuo accipe nuntium, quod optas :  
 11 et vivo, et valeo bene, profundo  
 12 leti a limine restitutus, et jam  
 13 meas delicias Bononienses  
 14 paro visere, scilicet Lavinum,  
 15 amoenum, nitidum, salubrem agellum ;  
 16 ubi te fruar, et diu cupito  
 17 tuo dulci, et amabili lepore,  
 18 quo sic afficior, beatus esse

19 ut plane videar ; videre caros  
 20 cum vultus datur, et tua morantes  
 21 soles condere colloquutione.  
 22 Quare mi hospitium para diebus  
 23 paucis ; et simul osculationes  
 24 centum, quae mihi erunt suaviores,  
 25 quam matri tenerae puella pulchra  
 26 quae dat suavia, cum remota ab urbe,  
 27 in qua nupta fuit, suos revisit.

AD FRANCISCUM BOLOGNETTUM

C6\_56 v.1 I, quaeso, mea Musa dulcis, agrum  
 2 citis cursibus ad Bononiensem,  
 3 nuntiumque feras bonum, ac beatum  
 4 uni ex unanimes meis amicis  
 5 Francisco lepidissimo poetae,  
 6 quem dolor lateris meus dolore  
 7 tanto conficit, ut cibum misellus  
 8 non possit capere, aut soporem ocellis :  
 9 sed semper jaciat graves querelas  
 10 in deos, medicosque. Dic, dolore  
 11 pulso letifero, suum valere  
 12 carum Flaminium. Ergo et ipse luctum  
 13 tradat Aeoliis Notis ferendum  
 14 trans alpes, Hadriamve : tum benignis,  
 15 qui vitam mihi reddidere, divis,  
 16 dic, laudes cithara canat Etrusca ;  
 17 Laudes, quas stupeat <?> gens amica  
 18 illi Tuscia plurimos in annos.

AD IACOBUM PACTUM

C6\_57 v.1 Pacte, candidus ille Bassianus,  
 2 qui te diligit ut bonum parentem,  
 3 retulit mihi, te dolore tanto  
 4 affectum ob lateris meum dolorem,  
 5 ut, si vel tibi filius, paterve  
 6 forem, non gravius dolere posses.  
 7 Haec dulcissimus ille Bassianus  
 8 cum narraret, amoris excitavit  
 9 tantum ignem mihi in intimis medullis,  
 10 ut qui te prius unice colebam  
 11 propter ingenium bonum, bonosque  
 12 mores, addiderim meo huic amori  
 13 ingentem cumulum, velut pusillus  
 14 ignis cum excidit alto in esculeto  
 15 pastori, frutices, rubosque primum  
 16 pascitur, fera deinde flamma crescit  
 17 vagans arboribus, peresa donec  
 18 silva magna resedit in favillas.  
 19 Ergo tum probitate me licebit  
 20 vincas, tum varia eruditione :  
 21 at vero superare amando, amice,

22 profecto tibi non licebit umquam.

AD MARIANUM VICTORIUM

C6\_58 v.1 Si qua te, Mariane, cura tangit  
 2 tui dulcis amiculi, fidele  
 3 da mi consilium ; cavebis autem,  
 4 ne te fallat amor mei videndi.  
 5 Ecquid tu veniendum ab Urbe censes  
 6 istuc Flaminio ? Hic habemus haedos,  
 7 pullos, optima vina, habemus umbras  
 8 hortorum, et medicos bonos, meique  
 9 amantes : domus hic salubris, ampla,  
 10 et est hic hominum elegantiorum  
 11 valde copia magna, qui libenter  
 12 me visant male firmum, adhuc atrocis  
 13 morbi reliquiis gravatum. Amice,  
 14 haec tu commoda compares, necesse est,  
 15 cum vestris : mihi deinde, quid gerendum  
 16 praescribes, maneamne in Urbe, ubi aegre,  
 17 nec satis bene convalesco ; praestet  
 18 an vestras latebras adire, qua vix  
 19 humano pede semitam esse tritam  
 20 affirmant aliqui. Tamen quod ipse  
 21 ad me scripseris, id putabo vatis  
 22 ore veridici fuisse dictum.

AD VINCENTIUM PARPALIAM

C6\_59 v.1 Cras, o Parpalia, ut soles, parabis  
 2 elegans mihi prandium, tuisque  
 3 conditum salibus, facetiisque ;  
 4 nam quo tempore me febris, malusque  
 5 tentavit lateris dolor, misello  
 6 nil primoribus ex eo labellis  
 7 fas fuit tetigisse, quod palato  
 8 gratumve accideret, foretve alendis  
 9 aptum viribus : hinc eas, et ipsum  
 10 corpus perdidit, et umbra inanis esse  
 11 jam mei videor. Tuo lepore  
 12 si tamen dabitur frui, tuisque  
 13 interesse epulis frequenter, aestas  
 14 ante quam veniat propinqua, fiam  
 15 ex macro, invalidoque fortis, atque  
 16 turdo obesior, uva quem voracem  
 17 diu nutriit, aut oliva pinguis.

AD DAMIANUM DAMIANIUM

C6\_60 v.1 O vinum tenue, aureum, suave  
 2 instar nectaris ! O merum deorum,  
 3 vitae praesidium meae fugacis !  
 4 Cedant Paeonii tibi liquores,

5 et quidquid remedi salubrioris  
 6 ostendit medicae repertor artis.  
 7 Jacebant lateris dolore membra  
 8 semimortua ; febris aestuabat,  
 9 ut fornacibus ignis ; ipse plantas  
 10 leti limina dura transferebam ;  
 11 cum tu languidulos fluens in artus,  
 12 caelestis liquor, et levas dolorem,  
 13 et vitam mihi reddis. Ergo, docte  
 14 Damiane, tuum merum, tuamque  
 15 vineam aureoli meri parentem  
 16 dulci carmine concinam, recepta  
 17 vita dum superat mihi ; et rogabo  
 18 votis assiduis Deum quotannis,  
 19 ne venti, pluviaeve, siccitasve,  
 20 aut vis grandinis, improbive fures  
 21 laedant aureoli meri parentem.

AD SUAVISSIMUM SODALEM SUUM

C6\_61 v.1 Tune versiculos tuos sepulcro  
 2 meo scalpere, amice, cogitabas ?  
 3 Me vivum potius vorent rapaces  
 4 lupi, quam mea mortui graventur  
 5 tuis versibus ossa. Non Typhoeum  
 6 sic vastum Inarime premit, nec Aetna  
 7 furem Enceladum, mei miselli  
 8 manes ut premerentur a tuarum  
 9 pondere intolerando ineptiarum.  
 10 Quare dis ago gratias, dederunt  
 11 qui, vita mihi reddita, periculo  
 12 tanto evadere : teque per vetustum  
 13 nostri foedus amoris oro, amice,  
 14 si quid acciderit mihi, priusquam  
 15 ipse mortem obeas, tuis molestis  
 16 nugis, pestiferisque, putidisque  
 17 ne vexes miserum meum sepulcrum.

AD BASILIUM ZANCHUM

C6\_62 v.1 Judex candide carminum meorum,  
 2 alterum tibi mitto nunc libellum,  
 3 lectum nemini adhuc : sed ipse amorem  
 4 per nostrum veterem rogatus illum  
 5 et leges, relegesque diligenter,  
 6 notans quidquid inesse judicabis  
 7 aut dictum illepide, aut parum Latine.  
 8 Quin igni dabis omnia, igne digna  
 9 si lusisse putabimur. Nec illa  
 10 vel assis facio, tibi videntur  
 11 si delenda ; nec ulla criticorum  
 12 formido maledicta, si probantur  
 13 tuo judicio. Vides, sodalis  
 14 bonus quam tibi fidat : ipse contra



15 verba singula ponderabis ; idque  
 16 non solum mei amore, sed quod error  
 17 quisquis commacularit hunc libellum,  
 18 famam aequae violabit utriusque,  
 19 iudex candide carminum meorum.

## AD SOMNUM

C6\_63 v.1 Huc ades, o bone Somne ; veni, dulcissime Somne,  
 2 et mea furtiva lumina claude manu.  
 3 Somne, veni : en volucres tibi dulcia carmina dicunt ;  
 4 invitat placido te vaga lympha sono :  
 5 te violae, et lilia pulchra, tuumque papaver,  
 6 teque vocant plenis Cressia vina cadis.  
 7 Nec tamen ipse venis. Quidnam, mitissime rerum,  
 8 jam surdum precibus te facit esse meis ?  
 9 Non ego vel foedo maculavi crimine vitam,  
 10 vel populi mores, et malefacta sequor.  
 11 Si nescis, ego sum Musarum, Somne, sacerdos :  
 12 nutriit in tenero me pia Musa sinu,  
 13 et citharam dedit. Hos dulces tibi condere versus  
 14 jam meditor ; propere tu modo, Somne, veni.  
 15 Ni properas, leti sopor ingruit, et mea saevus  
 16 lumina perpetua fundere nocte parat.  
 17 Ergo age, Somne, gradum celera, ne fama vegetur,  
 18 immeritum culpa me periisse tua.  
 19 Nam si nulla meae tangit te cura salutis,  
 20 at parcas famae, si sapis, ipse tuae.

## AD MARCUM QUEMDAM

C6\_64 v.1 Jam luculenta, Marce, pecunia  
 2 tumultuosum per mare cursitans  
 3 quam comparasti, disce tandem  
 4 disce, precor, sapienter uti.  
 5 Nam congerendis divitiis modus  
 6 hic esse debet, pauperiem ut tibi  
 7 tuisque liberis repellens,  
 8 laetus agas superest quod aevi.  
 9 Ergo relictis navibus et mari  
 10 ad tuta ruris te refer otia :  
 11 insanientis et procellae  
 12 dirum alii paveant furorem.  
 13 Quis non benignae culta nitentia  
 14 Terrae minaci praeferat Hadriae ?  
 15 Quis candido gregi catervas  
 16 comparet horribiles natantum ?  
 17 Quod si lucellum te capit ; et sua  
 18 sunt lucra gnavis agricolis : pecus,  
 19 saltusque, et arva diligenti  
 20 sunt domino bene fructuosa.  
 21 Nam terra mater reddere diligit  
 22 magno colenti semina fenore,  
 23 ni tu recusas illam aratro  
 24 assiduisque juvare rastris.

25 Est hic agellus, villaque collibus  
 26 fundata amoenis, quam liquidi ambiunt  
 27 fontes, et arcens umbra opaca  
 28 silva Canis orientis aestum.  
 29 His tu coemptis incipe tempora  
 30 post longa tandem vivere, conjugis  
 31 in dulcis amplexu daturus  
 32 laetam animam veniente leto.

## AD STEPHANUM SAULIUM

C6\_65 v.1 Ne tu beatum dixeris, optime  
 2 Sauli, superbo limine civium  
 3 qui prodit hinc, et hinc caterva  
 4 nobilium comitante cinctus ;  
 5 non si feracis occupet Africae  
 6 quidquid praealtis conditur horreis,  
 7 gemmasque lucentes, et auri  
 8 possideat rutilos acervos.  
 9 Nec ille felix, qui valet omnium  
 10 causas latentes cernere, sidera  
 11 notare doctus, et profundas  
 12 ingenio penetrare terras.  
 13 Sed tu beatum jure vocaveris.  
 14 Qui mente pura rite Deum colit,  
 15 ejusque jussa ducit amplis  
 16 divitiis pretiosiora.  
 17 Non ille vulgi gaudet honoribus,  
 18 sed carus ipsi Numinis est honos ;  
 19 pro quo tuendo non recusat  
 20 dedecorum genus omne ferre.  
 21 Quin et relictis coetibus urbium  
 22 mens ejus altum transvolat aethera,  
 23 Deique summi, caelitemque  
 24 colloquio fruitur beato.  
 25 Caelestis ergo jam sapientiae  
 26 plenus, periculis altior omnibus  
 27 quiescit in Deo, furentum  
 28 despiciens hominum tumultus.  
 29 Sic proeliantes aequore turgido  
 30 ventos reducto montis in angulo  
 31 miratur, et gaudet procella  
 32 terribili procul esse pastor.

## AD DONATUM RULLUM

C6\_66 v.1 Quis cuncta possit, Rulle, pericula  
 2 motusque mentis dicere turbidos,  
 3 qui saevientis instar undae  
 4 nos variis agitant procellis ?  
 5 Hinc proeliatur sollicitus timor,  
 6 hinc spes bonorum credula : gaudium  
 7 nunc tollit alte, nunc doloris  
 8 dejicimur furibundo ab aestu.

9 Non sic benignus caelicolum pater  
 10 humana finxit corda : sed insolens  
 11 nos fastus ad tumultuosa  
 12 haec freta praecipites adegit.  
 13 Cum vita nullis ante laboribus  
 14 turbata cunctis afflueret bonis,  
 15 nec mortis occurrens imago  
 16 cor trepido quateret tumultu.  
 17 Quod ergo tantis auxilium est malis ?  
 18 Ecquid Platonis docta volumina,  
 19 cultique praeceptor Lycei  
 20 sollicitam recreare mentem,  
 21 modumque curis figere tristibus  
 22 possunt ? Vel auri perpetuo fluens  
 23 rivus ? Vel in sublime tollens  
 24 per titulos popularis aura ?  
 25 Fomenta sunt haec prorsus inania,  
 26 luduntque falsa vulgus imagine,  
 27 vulgique primores, acuti  
 28 viribus ingenii tumentes.  
 29 At tu, beatam ducere si cupis  
 30 vitam periculis liber ab omnibus,  
 31 adhaereas Deo, piaque  
 32 mente sacrum venerare Numen.  
 33 Hinc hauries veram et sapientiam,  
 34 verumque honorem, et divitias, ferus  
 35 quas nec tyrannus, nec tremendi  
 36 vis rapiat truculenta belli.  
 37 Quidquid bonorum cernitur usquam  
 38 hoc fonte manat ; quo sine, quis, licet  
 39 terrasque, caelitemque regna  
 40 possideat, miser usque vivet.

## LIBER SEPTIMUS

### DE DAVIDE IUDAEORUM REGE

C7\_1 v.1 Eram paterna abjectus in domo puer,  
 2 cunctisque fratribus meis  
 3 minor pusillum in monte pascebam gregem.  
 4 Hic ego sub umbris arborum,  
 5 dum laeta tondet gramina pecus, maximi  
 6 laudes canebam Numinis,  
 7 sonora tangens fila citharae, quam meae  
 8 parvae laborarant manus.  
 9 At ille sanctus caelitem rex, et pater,  
 10 qui summa tangit fulmine  
 11 corusco, humoque gaudet ima tollere

12 suum repente nuntium  
 13 ad parva misit tecta, qui meum sacro  
 14 liniret unguento caput.  
 15 Abjecit ille viribus praestantia  
 16 fratrum meorum corpora :  
 17 nec forma quidquam profuit, nec asperis  
 18 spectata virtus proeliis.  
 19 At ego pusilli parvulus custos gregis  
 20 ad regium decus efferor.

PARAPHRASIS IN TRIGINTA PSALMOS  
 IN QUIBUS HEBRAERORUM NUMERATIONEM SEQUITUR

C7\_2 v.1 Dum nigra jucundos per languida membra sopores  
 2 nox irrigat mortalium,  
 3 tu mecum tacitis hymnos meditare sub umbris  
 4 cantu Latino, barbite  
 5 Jesseo quondam Heroi modulate ; tyranno  
 6 qui sive pulsus a fero  
 7 montibus in solis erraret, sive reversus  
 8 in patriam ditissimas  
 9 urbes, et latos populos ditione teneret,  
 10 noctes, diesque maximo  
 11 caelicolum regi laudes cantare solebat.  
 12 At vos, beati caelites,  
 13 est tutela quibus vatum commissa piorum,  
 14 adeste, quaeso, dexteri ;  
 15 et quaecumque Syros docuit rex optimus olim,  
 16 per Italas urbes lyra  
 17 dum memorare juvat, facilem concedite cantum,  
 18 rebusque dignum maximis.

ARGUMENTUM PSALMI PRIMI

C7\_3 v.1 Beatus ille, qui nec audit impios,  
 2 nec perseverat improbus  
 3 peccare, nec laetatur irrisoribus  
 4 se pessimis adjungere ;  
 5 sed mente pura diligit leges Dei,  
 6 illasque semper cogitat,  
 7 seu nox sopore amabili, seu lumine  
 8 sol candido terram irrigat.  
 9 Qualis perennes orta propter rivulos  
 10 arbor feraces ramulos  
 11 ornat quotannis fructuum laetissima  
 12 pulcherrimorum copia,  
 13 suumque honorem servat omni tempore  
 14 densis amicta frondibus ;  
 15 talis piorum est vita, talis omnium  
 16 colentium leges Dei.  
 17 Hi quidquid umquam molientur, exitus  
 18 illo favente prosperos  
 19 habebit. Haud sic improbi, sed pulverem  
 20 ut turbo late disjicit,

21 sic jactat illos impetus libidinum,  
 22 nulloque consistunt loco.  
 23 Ergo supremi judicis cum venerint  
 24 tribunal ad justissimum,  
 25 causa cadentes, a bonorum candida  
 26 turba procul, miserrimi  
 27 trudentur ima in Tartara ; quoniam Deus  
 28 mores piorum diligit :  
 29 at turpiter qui vitam agit, cruciatibus  
 30 hunc sempiternis afficit.

ARGUMENTUM PSALMI III

C7\_4 v.1 Pater beate, quid esse causae existimem,  
 2 cur impio bello furens  
 3 me persequatur immerentem civitas ?  
 4 Meam salutem perditam,  
 5 et derelictam populus a tua, pater,  
 6 benignitate praedicat.  
 7 Sed quisque quod labet loquatur, tu decus,  
 8 certumque praesidium meum es.  
 9 Numquam fidem tuam pia invoco prece,  
 10 quin vocibus dexter meis  
 11 aures benignas praebeas, et supplicii  
 12 optata dones omnia.  
 13 Ergo quieta mente utramvis dormiam  
 14 in aurem, et hostium minas  
 15 ridebo vanas : nullus ullo tempore  
 16 belli tumultus, aut ferox  
 17 me proeliorum territabit impetus ;  
 18 non si trecentis militum  
 19 me vallet hostis millibus, et undique  
 20 mortem minentur omnia.  
 21 Exsurge, vindex scelerum, et hostium feram  
 22 compesce vim crudelium,  
 23 qui saepe saepiusque me gravissimis  
 24 jam liberasti casibus.  
 25 Tu perdidisti Saulem, et omnes impios,  
 26 qui belluarum immanium  
 27 instar, salutem, et sanguinem meum hiantibus  
 28 saevi appetebant faucibus.  
 29 Solus salutem, solus, o dulcissime  
 30 Pater, bona omnia sufficis :  
 31 solus colentibus pie numen tuum  
 32 aeterna donas gaudia.

ARGUMENTUM PSALMI VI

C7\_5 v.1 Ne, quaeso, Domine, me tuus furor opprimat,  
 2 neve ira saeviat tua :  
 3 sed qui pater mihi es, paterna filium  
 4 severitate punias.  
 5 Miserere, Domine, jam mei, jam tristibus  
 6 aurem querelis admove ;

7 nam dira morbi vis misellum conficit :  
 8 me vita destituit mea.  
 9 Et tu quousque differes opem tuam  
 10 meae salutis negligens ?  
 11 Quousque vultum iratus avertes tuum ?  
 12 Tuo benigno lumine  
 13 meos dolores intuere jam, pater,  
 14 malisque tantis eripe.  
 15 Quid me, oro, morte rapere tam cita juvat ?  
 16 Ecquid sepulcro conditus  
 17 tui memor ero ? Ecquid tuas amabili  
 18 cantabo laudes carmine ?  
 19 Si caede me, et lectum meum libidine  
 20 contaminavi sordida,  
 21 at lacrimarum me, meumque lectulum  
 22 lavabo largo flumine :  
 23 me nulla nox, me nulla lux in posterum  
 24 non lacrimantem viderit.  
 25 Quamquam satis, superque supplicii datum est ;  
 26 maerore jam contabui,  
 27 fletuque fessa perdidit jam lumina,  
 28 peccata perditus mea,  
 29 injuriasque meorum acerbas hostium  
 30 dum flere numquam desino.  
 31 Recedite procul, impii, recedite  
 32 malas in oras ; nam Deus  
 33 suspiriis, lacrimisque motus est meis,  
 34 Dominus pias preces meas  
 35 benignus audivit, salutem supplicii  
 36 donavit optimus pater.  
 37 Ergo erubescant, et dolore pessimi  
 38 rumpantur hostes, et meae  
 39 felicitati quisquis invidet, procul  
 40 fugiat metu perterritus.

ARGUMENTUM PSALMI XI

DAVID

C7\_6 v.1 Deo mea spes nititur ; quid dicitis,  
 2 vestris ut avolem procul  
 3 a montibus ? Misella sicut avicula,  
 4 quam saevus accipiter feris  
 5 adurget unguibus, fame rabida furens.

AMICI

6 Quia hostis ecce barbarus  
 7 arcum tetendit jam, suas ut imbuat  
 8 tuo sagittas sanguine ;  
 9 et dissipatis legibus, miseris nihil  
 10 ad spem salutis linquntur.

DAVID

11 At ego quid egi, cur meam vitam mihi  
 12 auferre tendat impius ?  
 13 Sed praesidet templo Deus sancto, Deus  
 14 caelum beatus incolit :  
 15 hinc perspicaci cuncta lustrat lumine

16 rerum omnium arbiter parens,  
 17 sua ut potente dextera bonos juvet,  
 18 malosque justus puniat.  
 19 Explorat ille saepe rebus asperis  
 20 pios, ut aurum fervidus  
 21 explorat ignis, opprimi tamen vetat :  
 22 contraque tempus ad breve  
 23 florere permittit malos, cruciatibus  
 24 quos deinde longis afficit.  
 25 Quapropter hostis impius nisi jam suo  
 26 ponit furori terminum,  
 27 praedico, funditus peribit obrutus  
 28 igne, procellis, sulphure ;  
 29 namque aequus aequitatem amat Deus, et pios  
 30 placido intuetur lumine.

ARGUMENTUM PSALMI XII

C7\_7 v.1 Benigne caelitem pater, serva, obsecro,  
 2 opemque fer ; paucissimi  
 3 nam sunt, quibus confidere, ac possim meam  
 4 tuto salutem credere.  
 5 Mendacio jam pulsa turpi veritas  
 6 recessit alma ab urbibus,  
 7 fidesque sanctusque pudor, et soror illius  
 8 sinceritas amabilis.  
 9 Quod si quis umquam blandiatur, et omnia  
 10 loquatur ore dulcia,  
 11 tu vero ab illo tibi potissimum cave.  
 12 Te, lingua blanda, ab improbo  
 13 avellat ore praepotens rerum Deus :  
 14 tu, magna qui semper loqui  
 15 gaudes, eum iratum, tuaeque vindicem  
 16 linguae protervae sentias ;  
 17 tu qui furore percitus : "Lingua mea  
 18 opes mihi, et potentiam,  
 19 dicis, parabo ; liberum os gero, et geram  
 20 semper ; quis imperat mihi ? ".  
 21 At haec nefandus dum nefaria evomit,  
 22 caelestium rex maximus  
 23 orationis impiae superbia  
 24 commotus : "Exsurgo jam, ait,  
 25 exsurgo, jamque opem salutarem affero  
 26 benignus afflictiis : mihi,  
 27 qui vexat illos, impius poenas dabit".  
 28 Sincera verba Numinis,  
 29 auroque puriora sunt purissimo,  
 30 quod igne saepe ac saepius  
 31 purgavit artifex, monile regio  
 32 sponso laborans nobile.  
 33 Tu gente nos ab impia, rex optime,  
 34 servabis, et clementiae  
 35 scuto tuae firmissimo tela hostium  
 36 longe repelles omnia.  
 37 Tuti vagantur improbi, et bonis malam

38                    pestem, dolosque comparant,  
 39                    contaminata mente cum vir urbibus,  
 40                    servire dignus, imperat.

ARGUMENTUM PSALMI XIII

C7\_8    v.1    Quousque, Domine, linquor in tantis malis ?  
           2            O columnen, et salus mea,  
           3            quousque pergis esse non memor mei ?  
           4            Dic, oro, quamdiu dies,  
           5            noctesque lacrimis madebo, et anxius  
           6            deliberando distrahar ?  
           7            Quousque supplicem tuae clementiae  
           8            crudelis hostis opprimet ?  
           9            Aures tuae satis diu, pater, a meis  
 10            abhorruere questibus :  
 11            satis superque vultus aversus tuus  
 12            omnem mihi lucem abstulit.  
 13            Jam, quaeso, jam candore luminis sacri  
 14            meas tenebras dissipa,  
 15            ne forte durus mortis obrepat sopor,  
 16            dum nulla donatur quies.  
 17            Ne, quaeso, ne amplius in mala insultans mea  
 18            triumphet hostis gaudio.  
 19            Sed quamquam ab omnibus misera salus mea  
 20            projecta sit mortalibus,  
 21            bonam tamen spem non ego abjiciam, tuae  
 22            nitens opis fiducia.  
 23            Pater beate, maximas tibi gratias  
 24            ago, tuum qui supplicem  
 25            tam dexter audis, et malorum fluctibus  
 26            tantis benignus eripis.  
 27            Jam jam querelas flebiles, suspiria  
 28            jam pono laetus tristia,  
 29            et fonte quidquid carminis fluet meo,  
 30            Pater, tibi omne consecro.

ARGUMENTUM PSALMI XV

DAVID

C7\_9    v.1    Pater supreme, quis tuum templum incolet ?  
           2            Dic, oro, monte quis acquiescet in tuo ?  
                           DEUS  
           3            Qui purus omni a labe justitiam colit,  
           4            qui diligenter curat, ut mentem mala  
           5            a cogitatione servet integram,  
           6            nec immerentes ore vexat improbo,  
           7            nec alteri nocere solummodo cavet ;  
           8            sed si quis ullum laedat, auxilio venit,  
           9            injuriamque prohibet. Hic malum, licet  
 10            ditissimum, licet potentem, negligit ;  
 11            at quos amantes viderit Deum, colit,  
 12            veretur, observat, loco quamquam infimo  
 13            jacere cernat rerum egentes omnium.



14 Nec, si quid umquam juret, umquam pejerat.  
 15 Non ille fenori pecuniam daret,  
 16 illamve reciperet, licet pauperrimus,  
 17 ut innocentes opprimat, vel maximam.  
 18 Qui servat haec, immobilis semper manet,  
 19 Deoque carus vivit, et mortalibus.

ARGUMENTUM PSALMI XXIII

C7\_10 v.1 Rex caelitum est pastor meus ;  
 2 nihil boni deerit mihi.  
 3 Uberrimis in pascuis,  
 4 amoena propter flumina  
 5 me spiritus sanctissimi  
 6 aura beata recreat,  
 7 dulcique mentem pabulo  
 8 nutrit suae scientiae.  
 9 Miserrimus animus meus  
 10 dum longius abit a Deo,  
 11 erraverat procul a via,  
 12 quae ducit ad caelestium  
 13 oras beatas. At Deus  
 14 meae misertus miseriae,  
 15 benignitate maxima  
 16 quaesivit illum ultro, et sui  
 17 reduxit ad caulas gregis.  
 18 Si sola solus per loca  
 19 inermis eam, ubi plurima  
 20 imago mortis territat,  
 21 interritus perrexero,  
 22 custode securus Deo.  
 23 Me virga, pastor optime,  
 24 coercet errantem tua :  
 25 ne gravius offendar cadens,  
 26 tuo bacillo fulcior.  
 27 Me mensa roborat tua,  
 28 me dulcis exhilarat calix  
 29 tuus : oleo foveor tuo.  
 30 Nec me, pater dulcissime,  
 31 per has inexplicabiles  
 32 vias euntem deseres  
 33 umquam, sed ad tuam domum  
 34 duces, ubi vita fruar  
 35 et sempiterno gaudio.

ARGUMENTUM PSALMI XXX

C7\_11 v.1 Te semper efferam, pater sanctissime,  
 2 cantu meorum carminum,  
 3 qui me tenebris inferorum, et horrida  
 4 leti extulisti janua.  
 5 Tua benignitate perfectum est, meis  
 6 ne risus hostibus forem.  
 7 Domine, pia prece invocatus tabido

8 morbum expulisti corpore.  
 9 Jam jam sub imas ire terras coeperat  
 10 maerens anima, jam nexibus  
 11 soluta cari corporis dulcissimas  
 12 linquebat oras aetheris ;  
 13 cum restituta vivere, et jussa est frui  
 14 lucis cupito munere.  
 15 Adeste, castae virgines, homines pii,  
 16 adeste, mecum laudibus  
 17 Deum benignum tollite, agite gratias  
 18 quantas potestis maximas,  
 19 incomparabili illius clementiae.  
 20 Ut vere nimbus uvido  
 21 vix ortus evanescit, Aquilonis feri  
 22 si spiritus supervenit ;  
 23 sic ira sancti Numinis brevissima est :  
 24 at illius benignitas  
 25 semper salutem, semper hominibus piis  
 26 sincera praebet gaudia.  
 27 Quod si quid umquam incommodi intervenerit,  
 28 Deo favente celeriter  
 29 multiplicatis commodis rependitur.  
 30 Verum ipse victis hostibus,  
 31 et constituta pace, cum mihi omnia  
 32 feliciter succederent,  
 33 demens ad hunc modum loquebar : "Nulla vis  
 34 me, nulla jam potentia  
 35 dejicere poterit hoc statu rerum optimo.  
 36 Tu scilicet regnum meum,  
 37 measque fortunas ita stabiliveras,  
 38 ut montis instar omnibus  
 39 habere visa sint". At hoc nulla mihi  
 40 virtute contigerat mea,  
 41 sed liberalitate maxima tua :  
 42 quod ne mihi ignotum foret,  
 43 illamque stultam opinionem ut ponerem,  
 44 paullisper aversus mihi  
 45 memet reliquisti, Domine ; suntque illico  
 46 mutata, versaque omnia.  
 47 Tum lacrimans, vocesque lamentabiles  
 48 fundens : "Quid, inquam, maxime  
 49 Rex caelitum, quid vita proficiet mea  
 50 restincta morte tam cita ?  
 51 Ecquid sepulcro lingua condita poterit  
 52 cantare nominis tui  
 53 laudes ? Tibive docta dextra psallere ? ".  
 54 Ne, quaeso, supplicis tui  
 55 novissimo in casu precem contemptam habe,  
 56 sed pestilentem corpore  
 57 depelle morbum de meo. Sic lacrimans  
 58 orabam : at ipse tristibus  
 59 aurem querelis admovens, pro lugubri  
 60 maerore laeta gaudia,  
 61 pro foeditate vestium squalentium  
 62 vestem dedisti candidam.  
 63 Itaque tibi ingenium meum, et studia mea,

64 meamque vocem consecro :  
 65 semper tibi laudes cithara dicet mea,  
 66 semper tuam clementiam  
 67 cantabo, semper gratias tibi maximas  
 68 agam, pater sanctissime.

## PSALMI XLIII

C7\_12 v.1 Ut cerva fontem anhela quaerit anxie,  
 2 quam vis canum sagacium  
 3 vexavit, urit arva dum Sol igneus ;  
 4 sic te, pater dulcissime,  
 5 desiderat anima mea, cor meum tuam  
 6 sic expetit praesentiam.  
 7 O si nivea lux illa fulgeat mihi,  
 8 cum liceat ad templum Dei  
 9 adire, et hymnos Numini augustissimo  
 10 cum gente sancta dicere !  
 11 Noctes, diesque lacrimae tristissimae  
 12 fuere pro cibo mihi,  
 13 dum continenter sciscitantur impiae  
 14 gentes, Deus meus ubi sit.  
 15 Cur ille, dicunt, exsulem servum suum  
 16 tantis relinquit in malis ?  
 17 Jam fracta virtus ponderi succumberet  
 18 rerum asperarum, nisi bona  
 19 fulciret illam spes, et animum reficeret  
 20 jucunda cogitatio,  
 21 nimirum adhuc tempus fore, cum ad amabilem  
 22 redibo laetus patriam.  
 23 Tunc me meorum multitudo civium  
 24 immensa gratulantium  
 25 templum Dei deducet ad sanctissimum :  
 26 tunc civitas clamoribus  
 27 faustissimis sonabit, omnia tinnulis  
 28 late sonabunt plausibus.  
 29 Ergo bona tibi tanta, o anima mea, a tuo  
 30 promissa cum scias Deo,  
 31 cur non dolori jam modum figis ? Mihi  
 32 cur omne tollis gaudium ?  
 33 Committe jam, committe praesentissimo  
 34 tuam salutem Numini ;  
 35 nam liberati ab omnibus malis adhuc  
 36 agemus illi gratias.  
 37 Haec saepe mecum colloquor : sed intimis  
 38 resurgit in praecordiis  
 39 quandoque tanta vis doloris anxii,  
 40 vix ut queam resistere.  
 41 Quapropter ad tui memoriam nominis  
 42 amabilem saepissime  
 43 recurram, o unica spes mea, o lux, et salus  
 44 carumque solamen meum :  
 45 dulcescet illa amaror omnis ; et animo  
 46 illa eluet curas meo.  
 47 Quamquam paterna sum fugatus a domo,

48 vastasque solitudines  
 49 Jordanis, aviosque saltus Hermoni,  
 50 inhospitalem et Mizarum  
 51 exsul peragro, rerum egenus omnium,  
 52 numquam tamen tui, pater,  
 53 non meminero, numquam effluet animo meo  
 54 dulcissimum nomen tuum.  
 55 Eheu dolorem urget dolor, neque ulla fit  
 56 laboris intermissio.  
 57 Ut densus imber, visque saeva grandinis  
 58 ingente glomerati agmine  
 59 cum turbulento decidunt ex aethere,  
 60 magnis et omne motibus  
 61 Caelum quatit tonitruum horrissonus fragor,  
 62 sternuntur agri, sternitur  
 63 seges virescens, rura plenis omnia  
 64 natate fossis rusticus  
 65 miratur ; heu tali, pater, miserum agmine  
 66 gravium malorum usque obruis.  
 67 Sed tu serena placidus intueberis  
 68 me fronte tandem, et candida  
 69 lux pellet horridas tenebras : interim  
 70 manente nocte desinam  
 71 laudes tibi numquam canere, numen tuum  
 72 numquam precari desinam.  
 73 Dicam tibi flens : O salus, o lux mea,  
 74 cur tamdiu immemor es mei ?  
 75 Cur lacrimis, dolore, luctu maceror,  
 76 dum vexat hostis barbarus ?  
 77 In frustra corpus omne concidunt meum,  
 78 et me miserrime enecant,  
 79 dum continenter sciscitantur impiae  
 80 gentes, Deus meus ubi sit.  
 81 Cur tristis es, anima mea ? Cur numquam mihi  
 82 per te licet quiescere ?  
 83 Committe jam, committe praesentissimo  
 84 tuam salutem Numini ;  
 85 nam liberati ab omnibus malis adhuc  
 86 agemus illi gratias.

ARGUMENTUM PSALMI C

C7\_13 v.1 Urbes, et agri, cantibus  
 2 sonate, laeta maximo  
 3 servite mente Numini :  
 4 laetis adite plausibus  
 5 ad atria ejus aurea.  
 6 Ipse, ipse verus est Deus,  
 7 terrae, polique conditor ;  
 8 at ceterarum gentium  
 9 non dii, sed aurum, et marmora.  
 10 Tu nos, pater sanctissime,  
 11 tua benignus dextera  
 12 finxisti : oviculae nos tuae  
 13 sumus : tuae scientiae

14 dulcissimo nos pabulo,  
 15 o pastor optime, nutriens  
 16 aeterna donas saecula  
 17 vitam beatam ducere.  
 18 Ergo Deum canamus, o  
 19 viri, et pudicae feminae :  
 20 viri, et pudicae feminae,  
 21 adite sancti januas  
 22 templi sonantes dulcia  
 23 carmina. Sonent late omnia  
 24 nomen Dei sanctissimum ;  
 25 nam dulcis, et rerum omnium  
 26 amabilissimus est Deus.  
 27 Absumet ignis sidera,  
 28 tellus peribit ; at Dei  
 29 mirabilis clementia,  
 30 et veritas semper manent.

ARGUMENTUM PSALMI CXIII

C7\_14 v.1 Adeste, castae virgines, pueri integri,  
 2 adeste, mecum laudibus  
 3 efferte nomen Numinis sanctissimi.  
 4 Dum Sol per oras aetheris  
 5 cursu volubili rotabitur, diem  
 6 aegris ferens mortalibus ;  
 7 minora dum micabit inter sidera  
 8 Luna occidente jam die,  
 9 ab Indo ad ultima Britanni litora  
 10 illustre sit nomen Dei.  
 11 Non universis ille tantum gentibus  
 12 sua imperat potentia,  
 13 sed caelites, caelique supra maximum  
 14 se tollit altus verticem.  
 15 Hinc pater acuto cuncta lustrat lumine :  
 16 non stellifer quidquam polus,  
 17 non alma quidquam terra continet, neque  
 18 Pontus eam circumvagus,  
 19 nil pandit aer liquidus, occultat nihil  
 20 crassa inferorum obscuritas,  
 21 mortalis ullus denique nihil pectore  
 22 servat profundo conditum,  
 23 quod ille rector maximus caelestium  
 24 non cernat omni tempore.  
 25 Ipse et potentes, mente inani lucida  
 26 perambulantes sidera,  
 27 vindex ad imos usque trudit inferos ;  
 28 et pauperes in infimo  
 29 gradu jacentes principum in solio locat  
 30 sua benignus dextera :  
 31 ipse et pudicam liberorum garrulo  
 32 hilarat puellam examine,  
 33 quae prole sine dulci diu in tristissimo  
 34 maerore vitam traxerat.

## ARGUMENTUM PSALMI CXIV

C7\_15 v.1 Cum liberata servitute barbara  
 2 Judaea gens Aegyptiorum finibus  
 3 exiret, illamque Deus ipse duceret,  
 4 fugere fluctus aequoris perterriti,  
 5 Jordanis unda retro fugit, et stupens  
 6 gens illa vidit exsilire maximos  
 7 montes, ut agni prata per virentia  
 8 saliunt novelli, lacte dulci ebrii.  
 9 Quid accidit, mare, tibi, cur perterritum  
 10 fugeres ? Ocelle fluminum, quid accidit,  
 11 cur pavidus ad fontem recurreres tuum ?  
 12 Vos, quaeso, montes maximi, quid impulit  
 13 inusitatis exsilire motibus ?  
 14 Sensere magni Numinis praesentiam  
 15 montes, et unda fluminis, et altum mare ;  
 16 sensere dura saxa solitudinum,  
 17 cum bis ea fontes verteret in uberes.

## DE INSCRIPTIONE QUINDECIM HYMNORUM QUI SEQUUNTUR

C7\_16 v.1 Ter quinque, qui sequuntur, Hymni, Cantica  
 2 graduum vocantur ; istiusque nominis  
 3 quae vis in isto sit loco, jam plurimi  
 4 interpretantes protulere plurima ;  
 5 sed illa sic incerta, fabulosaque,  
 6 ut ipse malim confiteri libere,  
 7 nescire me, quod nescio. Tu, candide  
 8 lector, quod istis continetur Canticis,  
 9 dum diligenter explicamus, obsecro,  
 10 attentum animum adhibe, tametsi inscriptio  
 11 quid ipsa sibi velit, explicare non datur.  
 12 Nam totque tantaque poteris cognoscere  
 13 in his poetae versibus sanctissimi,  
 14 vitam beatam maxime attingentia,  
 15 ut curiosus sis licet, animo tamen  
 16 aequo ferendum sit, quod unum hoc nescias.

## ARGUMENTUM PSALMI CXX

C7\_17 v.1 Oppugnat hostis impius caput meum  
 2 measque fortunas : ego  
 3 contra piarum me tegam scuto precum ;  
 4 nam vocibus dexter meis  
 5 aures amicas admovet semper Deus,  
 6 ut filio dulcis pater.  
 7 A viperino dente, acerbo a vulnere  
 8 oris dolosi, Domine, me  
 9 defende, saeva lingua ne vitam mihi  
 10 suis venenis auferat.  
 11 Dolosa lingua quem tibi fructum feret ?  
 12 Quid turpibus mendaciis

13       lucrabere praeter odium Dei, miser  
 14               et omnium mortalium.  
 15       Qualis sagitta milite a fortissimo  
 16               contorta, qualis ignea  
 17       nutrita vis juniperi olentis caudice  
 18               talis venenata impii  
 19       lingua est. Miser, miser ego jam nimium diu  
 20               cum gente vivo barbara.  
 21       Me pax juvat, et mutui concordia  
 22               amoris ardens ignibus :  
 23       at ista gens, de pace cum loquor, nihil  
 24               crepat nisi necem, et sanguinem.

ARGUMENTUM PSALMI CXXI

C7\_18   v.1       Dum me cruentus urget hostis, lumina  
           2               montes ad altos sustuli,  
           3       unde ille rerum praepotens pater omnium,  
           4               terrae, polique conditor,  
           5       frustratus hostem barbarum, mittet mihi  
           6               opem benigno numine.  
           7       Numquam ille saevis impiorum incursibus  
           8               tuam sinet constantiam  
           9       labare victam, dormiet numquam tuae  
 10               salutis ille negligens :  
 11       qui civitati praesidet sanctissimae,  
 12               numquam profecto dormiet :  
 13       haerebit ille semper ad dextrum latus  
 14               fidissimus comes tuum,  
 15       umbraculique tecum amabilis vice  
 16               fungetur optimus pater,  
 17       ne fervidus te tangat aut Sol, aut gravi  
 18               Luna insalubris lumine.  
 19       Quodcumque ages, ubicumque eris, domi, foris,  
 20               in urbe, in agro, tecum erit  
 21       semper beatus caelitem rex, et pater,  
 22               fortunet ut tibi omnia :  
 23       suasque tandem ducet ad domos, ubi  
 24               aeterna vives saecula.

ARGUMENTUM PSALMI CXXII

C7\_19   v.1       O quale cepi gaudium,  
           2       cum dicerent : Adibimus  
           3       templum Dei sanctissimum !  
           4       Te, magna, visam, civitas,  
           5       tectis, viis, et moenibus,  
           6       et civium concordia  
           7       florentem, et almi Numinis  
           8       tutela. Agris ex omnibus,  
           9       et oppidis gens plurima  
 10       in te piorum singulis  
 11       annis ter ad festos dies,  
 12       et sacra sancta convenit ;

13 ut legibus mandat suis  
 14 Rector supremus caelitem.  
 15 Tu jura claris urbibus,  
 16 legesque das ; tu maximos  
 17 reges alis ; te Davidis  
 18 proles frequentat inclyta,  
 19 stipata semper nobili  
 20 turba ducum. Precamini,  
 21 cives boni, bona omnia  
 22 huic civitati. Sit bene,  
 23 feliciterque amantibus  
 24 te, mater alma ; nec tuis  
 25 umquam recedat finibus  
 26 Pax, et beata Faustitas.  
 27 Salus meorum civium  
 28 tua salute nititur :  
 29 templum Dei sanctissimum  
 30 te reddit omnibus piis  
 31 amabilem. Igitur usque dum  
 32 ego vixero, semper tibi  
 33 bona precabor omnia.

ARGUMENTUM PSALMI CXXIII

C7\_20 v.1 Ad te, beatas qui beatus incolis  
 2 oras nitentis aetheris,  
 3 attollo lumina lacrimis manantia,  
 4 vitae meae spes unica.  
 5 Injuriosa verberatus ut manu  
 6 manus heriles aspicit  
 7 flens servus, implorans opem domini sui ;  
 8 ut serva servi dextera  
 9 pulsata, dominae dexteram aspicit suae,  
 10 sic te, pater sanctissime,  
 11 nos intuemur maxima fiducia,  
 12 donec querelis tristibus  
 13 aures benignas applicans adsis tuo  
 14 nobis secundo numine.  
 15 Jam, quaeso, jam tuere supplices tuos  
 16 vultu sereno ; ista quoniam  
 17 abominata gens sua superbia  
 18 nos enecat miserrime ;  
 19 miserrime nos enecat gens impia  
 20 irrisione, et jurgiis.

ARGUMENTUM PSALMI CXXIV

C7\_21 v.1 Nisi nos benigni Numinis  
 2 tutela servasset, piae  
 3 nunc dicat urbis incola,  
 4 nisi nos benigni Numinis  
 5 tutela servasset, feri  
 6 invaderent cum barbari,  
 7 instar leonum, hiantibus



8 nos devorassent faucibus.  
 9 Cum gens veniret impia  
 10 furens, minasque, et sanguinem  
 11 spirans, malorum altissimo  
 12 nos obruisset gurgite.  
 13 Torrens malorum maximus  
 14 agros, et urbem, et omnia  
 15 jam perdidisset funditus.  
 16 Supreme caelitem pater,  
 17 Te sempiternis laudibus  
 18 servata tollet civitas.  
 19 Quam noluisti immanibus  
 20 patere praedam belluis.  
 21 Ut implicata vinculo  
 22 pudica turtur, aucupis  
 23 crudelis effugit manum,  
 24 si forte laqueus frangitur ;  
 25 sic impiorum e dextera  
 26 spem praeter ipsi evasimus.  
 27 In posterum anxius timor  
 28 nostris facessat finibus,  
 29 quando omnium rerum potens,  
 30 terrae, polique conditor  
 31 suo benigno numine  
 32 nostrae saluti consulit.

## PSALMI CXXV

C7\_22 v.1 Quicumque vere spes suas locat in deo,  
 2 immobilis semper manet,  
 3 Sionis instar, nulla quem suo potest  
 4 mutare vis umquam loco.  
 5 Ut sancta vallo montium circumdata  
 6 est undecumque civitas,  
 7 sic ipse rector caelitem dextro pios  
 8 vallabit usque numine,  
 9 illosque nullis improborum viribus  
 10 premi diutius sinet ;  
 11 ne forte virtus fracta rebus asperis  
 12 Deo recedat a suo.  
 13 Fac affluenter manet ad bonos tua,  
 14 quaeso, benignitas, pater :  
 15 at qui, secutus impiorum pessima  
 16 consilia, deserit viam  
 17 legum tuarum perditus, illum, precor,  
 18 ultrice puni dextera.  
 19 Utinam Quies, et alma Pax nostros agros  
 20 nostras et urbes incolat.

## ARGUMENTUM PSALMI CXXVI

C7\_23 v.1 Cum liberati barbarae gentis jugo  
 2 dulcem rediremus domum,  
 3 se somnare quisque, non vero frui

4 existimabat gaudio.  
 5 O quae voluptas, quanta nobis commoda  
 6 tuo favente numine  
 7 tum contigere, caelitum rex maxime !  
 8 Tum barbarus mirans ait :  
 9 En quanta pro salute gentis istius  
 10 Pater deorum conficit !  
 11 Et magna certe fecit ; haud injuria  
 12 tanto exsilimus gaudio.  
 13 Ut Auster udus imbrium vim maximam  
 14 fundens, jugisque collium  
 15 nivem albicantium liquans, suas super  
 16 ripas alit torrentia  
 17 flumina ; vagantur illa, lateque omnia  
 18 tenent ; ita, pater optime,  
 19 fac, ut tuorum multitudo civium  
 20 plenis viis ad patriae  
 21 dulces fluat agros, omniaque passim occupet,  
 22 laetoque plausu repleat.  
 23 Ut glareoso tristis arvo semina  
 24 mandans colonus, uberem  
 25 si forte messem percipit, gaudet magis,  
 26 quam cultor agri fertilis ;  
 27 sic nos per annos septies denos gravem  
 28 et servitutem, et cetera  
 29 passi mala omnia, cum lares amabilis  
 30 reviseremus patriae,  
 31 cunctis vicissim gaudiis incessimus ;  
 32 tuaeque, rex sanctissime,  
 33 benignitati gratias semper agimus,  
 34 semperque habemus maximas.

ARGUMENTUM PSALMI CXXVII

C7\_24 v.1 Nisi conjugem Deus bonam, et agrum fertilem,  
 2 dulcesque donet liberos,  
 3 frustra laborat, si quis haec studio suo  
 4 sese paraturum putat.  
 5 Nisi civitatem, et civium concordiam  
 6 defendat optimus pater,  
 7 et civitatem, et civium concordiam  
 8 frustra tuentur principes.  
 9 Frustra ad labores ante lucem surgitis ;  
 10 frustra laboratis diem  
 11 totum, labores nisi Deus vestros suo  
 12 fortunet ipse numine.  
 13 Ipse et parabilem facit victum, et piis  
 14 praebet quietem civibus :  
 15 ipse et frequentat liberis domum ; et ipsius  
 16 uxor pudica munere  
 17 contingit, ac decora, et optimis simul  
 18 ornata proles moribus,  
 19 talisque robore, qualis a fortissimo  
 20 sagitta torta milite.  
 21 Beatus ille qui pharetram talibus

22            implet sagittis ! Non ei  
 23        erit timendum, si quod umquam evenerit  
 24            certamen : illum iudices,  
 25        et cuncta civitas, suis cum filiis  
 26            bonum, et beatum praedicant.

ARGUMENTUM PSALMI CXXVIII

C7\_25    v.1        Beatus ille qui piam sese Deo  
           2            in servitutem dedicat,  
           3        semper paratus exsequi sanctissimis  
           4            quod ille verbis imperat.  
           5        Non is paterna rura inaniter colit ;  
           6            sed quae feraci semina  
           7        sinu recepit fundus, illa maximo  
           8            reddit colenti foenore.  
           9        Uxor pudica bene regit domum, et optimis  
 10            exornat ipsam liberis,  
 11        fecunda vitis instar, apta diligens  
 12            quam curat arte vinitor.  
 13        Proles novella crescit, ut virentibus  
 14            oliva pulchra ramulis ;  
 15        et mensa turba garrula circumdata  
 16            cumulat parentes gaudio.  
 17        Haec est piorum vita ; eosque talibus  
 18            remuneratur praemiis  
 19        summi benignitas patris ; quem si coles,  
 20            urbis sacratae commodis  
 21        laetus fruere ; usquedum vivas, tuae  
 22            prolis beatae liberos  
 23        florere cernes ; patriis felicitas  
 24            regnabit alma finibus.

ARGUMENTUM PSALMI CXXIX

C7\_26    v.1        Me barbarorum saepe vexavit furor,  
           2            nunc sancta dicat civitas ;  
           3        me barbarorum saepe vexavit furor  
           4            ab ultima usque origine ;  
           5        sed nulla vis, nec ullus hostium dolus  
           6            me quivit umquam extinguere.  
           7        Aravit heu mea terga longis verberum  
           8            sulcis nefandus barbarus ;  
           9        laboribus me, vinculisque asperrimis,  
 10            duraque vexavit fame :  
 11        sed vincla rupit ferrea, et tandem mihi  
 12            dulcem quietem praebuit,  
 13        uberrimoque me locavit in solo  
 14            caelestium summus pater.  
 15        Qui civitatem Numinis sanctissimi  
 16            vult perditam, pereat male.  
 17        Ut herba tectis orta summis aedium  
 18            humore vitali caret,  
 19        nec quit profundiore radices humo

20 agere ; itaque ante exaruit  
 21 percussa sole fervido, quam dextera  
 22 vellatur alicujus ; neque  
 23 manum replevit ea metens, suum neque  
 24 sinum, manipulos colligens ;  
 25 nec qui viator praeterit, verbis ei  
 26 bene precatur optimis ;  
 27 talis sit impius hostis, et quisquis pios  
 28 odit, Deus quos diligit.

ARGUMENTUM PSALMI CXXX

C7\_27 v.1 Malis profundis obrutus  
 2 tuam, pater, fidem invoco.  
 3 Ne, quaeso, supplicis tui  
 4 audire vocem respue.  
 5 Si vindicaris omnia  
 6 peccata, cunctaque exigas  
 7 quae jure debentur tibi,  
 8 quis sustinebit, o pater ?  
 9 Quis tam pie, tam puriter  
 10 vitam colit, quin sit tibi  
 11 poenas daturus maximas ?  
 12 Incomparabilis tua  
 13 certe benignitas facit  
 14 ut numen a mortalibus  
 15 tuum colatur. Hac ego  
 16 confisus, auxilium tuum  
 17 exspecto certum : animus meus  
 18 et lenitate tua, et tua  
 19 promissione nititur.  
 20 Non sic morantem languidus  
 21 exspectat Auroram vigil,  
 22 qui nocte tota sedulus  
 23 ambivit urbis moenia,  
 24 votis ut omnibus expeto  
 25 ego te morantem, o refugium  
 26 meae salutis unicum.  
 27 Judaea gens, Deo tuo  
 28 confide ; nam Deus tuus  
 29 benignus et placabilis  
 30 et promptus est ignoscere.  
 31 Tua ipse peccata omnia  
 32 delebit, et maculas sua  
 33 absterget omnes dextera.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXI

C7\_28 v.1 Supreme rector caelitem,  
 2 non ipse regium ob decus  
 3 inflatus efferor, neque  
 4 perambulans sublimia  
 5 mentis superbae somniis,  
 6 majora viribus meis

7 tribuo, tribuere quam decet  
 8 hominem caducum, inanis et  
 9 imaginis simillimum.  
 10 Si non modestiam colo,  
 11 si sumo magnos spiritus,  
 12 turpissimae arrogantiae  
 13 poenas gravissimas luam.  
 14 Qualis pusillus est puer,  
 15 quem lacte dulci blandula  
 16 vix alere desiit parens,  
 17 talis animus, et mens mea est.  
 18 Ut ille totus optima  
 19 matre acquiescit in sua,  
 20 sic ipse toto pectore  
 21 ex caritate pendeo  
 22 caelestis optimi patris.  
 23 O te beatum, quisquis es,  
 24 qui spem tuam in Deo locas !

ARGUMENTUM PSALMI CXXXII

C7\_29 v.1 Sis memor usque pii, Rex maxime, Davidis, et quam  
 2 cives in omnes mitis exstiterit suos.  
 3 Ille tui sancto incensus juravit amore,  
 4 votumque lingua nuncupavit hoc modo :  
 5 ne tibi sim carus, vita mihi carior ipsa,  
 6 neu verba posthac supplicantis audias,  
 7 ante meae si cara domus ad limina adibo,  
 8 oculosve somnus ante clauserit meos,  
 9 quam praeclara tuo fuerit, pater optime, templo,  
 10 tuisque dedicata sacris area.  
 11 Sic ait, et parvo post tempore dedicat illam,  
 12 qua se beatis silva campis porrigit,  
 13 cum tu clara prius Bethleemi signa dedisses.  
 14 Tuam introibimus, pater, domum, tua  
 15 perpetuo castis venerantes numina sacris.  
 16 Tu mansionem dexter ad certam veni,  
 17 mysticaque arca vagans stabili jam sede quiescat :  
 18 fac, ut sacerdos mente pura te colat,  
 19 et sua cuique pio da gaudia, neve tueri  
 20 omitte prolem Davidis tui inclytam,  
 21 quam patris aurato in solio tu, sancte, locasti.  
 22 Juravit ille, pejerare qui nequit,  
 23 Omnipotens dulci affatus sic Davidem amore :  
 24 tua sedebunt sede liberi tui ;  
 25 qui si constantes in relligione manebunt  
 26 quam Mosis ore sanximus, neque inclyta  
 27 foederis antiqui violarint jura, nepotum  
 28 serie propago nobilis longissima  
 29 dulci pace fruens solio regnabit avito.  
 30 Sionis arcem praefero cunctis locis.  
 31 Hic ego longa libenti animo per saecula degam :  
 32 hic supplicantium preces ego civium  
 33 audiam, et optanti mea sancta oracula pandam.  
 34 Florebit agris fructuum laetissima

35 omnigenum ubertas, atque hinc procul omne fugata  
 36 per aevum egestas exsulabit horrida.  
 37 Casta sacerdotes ornabit vita, colentque  
 38 domos piorum pura semper gaudia.  
 39 Ac veluti lauro pulchrae densissima silva  
 40 radice ab ima pullulat, sic Davidi  
 41 candida succrescet proles, quae splendida facta  
 42 parentis augeat optimi : neque hostium  
 43 ulla domum poterit vis hanc evertere ; non si  
 44 conjuret omnis impiarum gentium  
 45 barbaries latas per terras didita. Cunctis  
 46 optatus ille piis fluet ab origine  
 47 ista, qui populos omnes, et maxima ponti  
 48 aequora, globosque siderum micantium,  
 49 et divos supra caeli convexa morantes  
 50 mecum gubernet sempiterna ad saecula.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXIII

C7\_30 v.1 O quam beatum est pacis insolubili  
 2 fratres ligari vinculo !  
 3 O qualia bona, et quanta secum gaudia  
 4 apportat alma Caritas !  
 5 Quales odores spirat unguenti liquor  
 6 stillans Aaronis sacro  
 7 e vertice aureas ad oras vestium,  
 8 tales odores candida  
 9 pax, atque amoris mutui concordia  
 10 afflant piorum mentibus.  
 11 Ut ros Sionis decidens jugum, et avia  
 12 Hermonis alti pascua  
 13 fecundat, ita quas incolit domos pia  
 14 Pax, ditat omnibus bonis.  
 15 Nam degit ubi Pax, et beata Caritas,  
 16 ibi caelitem degit pater.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXIV

C7\_31 v.1 Dum nox favet, suoque nos silentio  
 2 invitat, agite, laudibus  
 3 Deum efferamus, aedis o sanctissimae  
 4 casti beatique incolae.  
 5 Tollamus, agite, supplices simul manus,  
 6 adytisque in intimis Deum  
 7 aures amicas applicantem plurima  
 8 prece invocemus, ut sua  
 9 ope sospitet cives, bonaque det omnia  
 10 larga benignus dextera.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXVII

C7\_32 v.1 Dum nos ferarum gentium crudelitas  
 2 desideratae patriae dulci solo

3 exterminatos detinet, iuvat procul  
 4 a civitatis barbara frequentia  
 5 sedere solos sola propter litora  
 6 Euphratis. Hic comantium nostras lyras  
 7 suspendimus ramo salicum, et uberrimam  
 8 vim lacrimarum fundimus, tui, Sion  
 9 dulcis, recordantes, tuamque, maxime  
 10 Rex caelitem, orantes opem ore supplicii.  
 11 At interim adiens pastor errantis gregis :  
 12 Cantate nobis, ait, aliqua de canticis  
 13 vestris : quid istae pendulae tacent lyrae ?  
 14 Qui nos queamus, obsecro, animum inducere,  
 15 ut canticum sanctissimum nostri Dei  
 16 cantemus istis exsultantes in locis ?  
 17 Si oblitus umquam fuero, sancta civitas,  
 18 tui, mea quoque oblita dextra psallere  
 19 amabiles numquam lyra eliciat sonos.  
 20 Adhaereat lingua mea faucibus meis.  
 21 Ne canere possim, nisi ego meminero tui,  
 22 nisi cuncta acerba erunt mihi, et amarissimo  
 23 amariora felle, donec moenia,  
 24 tuumque templum restituta videro.  
 25 At tu, nefanda facta qui mortalium  
 26 ultrice punis dextera, taeterrimi  
 27 Idumaeorum sceleris usque sis memor ;  
 28 qui, dum periret civitas tua, impios  
 29 hostes furentes vocibus nefariis  
 30 sic incitabant : pergite agedum, et omnia  
 31 vastate ; ferro et igne cuncta evertite.  
 32 Babylon superba, et omnium miserrima,  
 33 beatus is, qui talibus pro injuriis  
 34 Te digna solvet praemia, atque idem tibi  
 35 large reponet, parvulos a pectore  
 36 natos revellens matrum, et illos aspera  
 37 ad saxa frangens, teque funditus eruens.

ARGUMENTUM PSALMI CXLIV

C7\_33 v.1 Aeterne mundi Domine, quas grates tuae  
 2 clementiae possim agere ? Vel tuum quibus  
 3 efferre nomen laudibus sanctissimum ?  
 4 Tu proeliari dexteram meam doces,  
 5 et omnium discriminum fidissimus  
 6 comes per hostes obvios, et horrida  
 7 per arma tutum ruere, et incolumem facis.  
 8 Tu civitates subjicis meas mihi,  
 9 latisque donas imperare gentibus.  
 10 Domine, quid est homo, quod honore maximo  
 11 dignaris illum, et tam benigne amplecteris ?  
 12 Homo est imago vana, et umbrae somnium  
 13 inanis, ipsa inanitate inanior.  
 14 Descende caelo, et irruentes hostium  
 15 acies coerce fulminante dextera :  
 16 illos procellis, igne, grandine dissipa,  
 17 illos sagittis perime ; nosque jam obrutos

18 his nationum barbararum fluctibus  
 19 tuere. Summe Rex, tuas laudes ego  
 20 cantabo semper ; tibi cithara semper mea  
 21 hymnos sonabit. Tu salutem regibus  
 22 donare gaudes : Davidem tu maximis  
 23 periculorum liberasti casibus.  
 24 Tu nunc furores impiarum gentium  
 25 compesce, quas nefanda semper dicere  
 26 juvat, nefanda semper agere. Fac, pius  
 27 miles triumphum nobilem referat domum ;  
 28 fac, alma Pax, Quiesque nostris finibus  
 29 regnent tumultu barbarorum liberae.  
 30 Proles novella crescat agris omnibus,  
 31 ut valle myrtus avia nitentibus  
 32 se ramulis subjicit, amica limpidi  
 33 rigata fontis lymphula. Sint virgines  
 34 nostrae decoro corpore spectabiles :  
 35 sint plena semper horrea bonis frugibus :  
 36 plenis redundet cella semper doliis,  
 37 redundet oleo, melle, pomis dulcibus.  
 38 Sint prata gregibus tecta fecundissimis,  
 39 fortes juveni plaustra onusta ducere,  
 40 fortes feracem glaebam aratro findere.  
 41 Neu saevus hostis nostra rumpat moenia,  
 42 neu patriae jucundae amabiles agros  
 43 abducta gens relinquat, aut civilibus  
 44 sonent plateae jurgiis. Ter et amplius  
 45 beata gens, quae talibus fruitur bonis !  
 46 Beata gens, quam maximus caelestium  
 47 Pater suo praesens tuetur numine !

PARAPHRASIS IN CARMEN DAVIDIS  
 DE MORTE SAULIS IUDAEORUM REGIS ET IONATHAE EIUS FILII

C7\_34 v.1 Urbes, et agri, fundite  
 2 lamenta, tristes sidera  
 3 ad alta voces tollite :  
 4 nostrum decus gens impia  
 5 exstinxit ; altis montibus  
 6 gens clara bello, procidit.  
 7 Ne, quaeso, fama, compitis  
 8 haec Ascalonis, aut Gethi  
 9 perfer ; puellas hostium  
 10 ne tanta clades ad choros,  
 11 cantusque laetos excitet.  
 12 Abominata Gelboe,  
 13 nec ros, nec imber educet  
 14 herbam tuam, neque in tuis  
 15 jucunda vitis, aut seges  
 16 pubescat umquam montibus.  
 17 Hic heu relictis parmulis  
 18 phalanx piorum militum  
 19 fugata turpiter cadit :  
 20 hic dux cruento in pulvere  
 21 procumbit, ac si non foret



22 gentis piae rex inclytus.  
 23 Sagitta numquam Jonathae,  
 24 cum saeva obiret proelia,  
 25 ictus ferebat irritos,  
 26 sagitta velox, fortium  
 27 potare docta sanguinem :  
 28 nec hostis umquam vel pede,  
 29 vel equo tulit sese obuius  
 30 impune, cum Saules manu  
 31 ensem rotaret impigra.  
 32 Saules parens, et Jonatha  
 33 parentis inclyti decus ;  
 34 jucundi, atque amabiles,  
 35 vos non diremit impiae  
 36 vis dura mortis, copula  
 37 quos vita dulci junxerat.  
 38 Non fortior vobis leo  
 39 errat Libyssis vallibus,  
 40 regina non avium ocior  
 41 vobis, fugacem praepete  
 42 penna columbam persequens.  
 43 Vos, o decorae virgines,  
 44 quas induebat coccina  
 45 rex veste, quas monilibus  
 46 ornabat aureis, date  
 47 vestro misellae lacrimas  
 48 regi ; misellae, tristibus  
 49 sonent querelis omnia.  
 50 Ut militum ferocium  
 51 infracta virtus concidit !  
 52 Ut, Jonatha fortissime,  
 53 in montibus tuis jaces  
 54 confossus alto vulnere !  
 55 Has fundo lacrimas tibi,  
 56 et haec ab imo pectore  
 57 suspiria ; frater mihi  
 58 o luce cara dulcior,  
 59 amate Jonatha mihi,  
 60 quantum nec ardens candidam  
 61 amans puellam deperit,  
 62 quantum nec unicum parens  
 63 tenella natam diligit.  
 64 Ut militum ferocium  
 65 infracta virtus concidit !  
 66 Ut Jonathas acerrimus  
 67 parente cum fortissimo  
 68 in montibus caesus jacet !

## AD LECTOREM

C7\_35 v.1 Haec nostra, lector Christiane, carmina  
 2 sic temperavimus favente numine  
 3 divino, ut ipsa cum legas, sit idem fere  
 4 ac si poetae Davidis sanctissimi  
 5 hymnos legas ; tametsi enim neque reddita

6 fuere verbis verba, neque nobis fuit  
 7 religio, multa addere, bonam, et certam tamen  
 8 spem habemus, additum nihil quod ab ipsius  
 9 abhorreat sententia vatis, nihil  
 10 obscura quod non monstret instar luminis,  
 11 aut pulchritudini poematis aliquid  
 12 decoris addat, virgini pulcherrimae  
 13 quale decus addunt arte purpureae rosae,  
 14 violaeque flavis crinibus circumdatae.  
 15 Quod si labores hos meos perspexero  
 16 fuisse gratos, et legentium favor  
 17 scribentis adjuverit, ut aequum, industriam,  
 18 ultro recipio, et tibi meam adstringo fidem,  
 19 curam mihi hanc unam fore antiquissimam,  
 20 ut quae reliqua sunt Davidis poemata,  
 21 oratione pura, et arte musica  
 22 ornata possint mox Latinis auribus  
 23 intelligi. Hoc ego ut queam cito exsequi,  
 24 utinam optimi faveat benignitas Dei ;  
 25 quod oro, votisque omnibus equidem expeto,  
 26 non in meae, sed in ipsius spem gloriae.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM AMPLISSIMUM

C7\_36 v.1 Dum se alii mediae per amica silentia noctis  
 2 dulci sopore recreant,  
 3 haec ego Jessiadae cithara mage dulcia somno  
 4 meditans canebam, dum dies  
 5 clara superveniens taciturnas pelleret umbras,  
 6 carissimas umbras mihi ;  
 7 quae me senserunt noctes vigilare beatas,  
 8 dum primus ipse mystica  
 9 Davidis ad Latias deduco carmina Musas,  
 10 piisque grata concino ;  
 11 non Jovis insani referens male sanus amores,  
 12 non ebriosa Liberi  
 13 orgia, non ludos Phoebi, exsecrandave sacra,  
 14 sed maximi laudes Dei,  
 15 Tergeminum quem caelicolae venerantur et Unum ;  
 16 qui siderum vagantium  
 17 multiplices cursus, qui magnum temperat aequor,  
 18 et omnium mortalium  
 19 omnia facta videns sua justis praemia reddit,  
 20 suasque poenas improbis  
 21 irrogat, et cunctas animalia cuncta per oras  
 22 alit benigno numine.  
 23 O utinam haec discant pueri, castaeque puellae,  
 24 mentesque sanctioribus  
 25 formentur studiis, dum parva, et mobilis aetas.  
 26 Quid, o parentes, quid juvat  
 27 futilibus nugis, et turpi carmine vestros  
 28 contaminare liberos ?  
 29 Cum liceat sanctos illis versare poetas,  
 30 scientiaeque pabulo  
 31 divinae teneros animos nutrire, veneno

32                   dulci relicto, quo malo  
 33   nullum aliud magis esse nocens puerilibus annis  
 34                   videre prisca saecula,  
 35   quamvis illa forent caligine consita, nec dum  
 36                   perfusa vero lumine.  
 37   At tu prudentem juvenili aetate senectam,  
 38                   o patriae decus inclytæ  
 39   Farnesi, aequiparans, post magna negotia, quando,  
 40                   audire fessus nobiles  
 41   Regum legatos summis de rebus, amoenos  
 42                   mirandula doctissimo,  
 43   Maphaeoque tuo comitatus te abdis in hortos,  
 44                   et otio dulci juvat  
 45   mollibus et studiis duros finire labores,  
 46                   tunc nostra, quaeso, carmina  
 47   perlege, nec tu Flamini magis illa putato,  
 48                   quam regis illustrissimi,  
 49   qui bello insignis, pietate insignior, hostes  
 50                   inter, ferociaque agmina,  
 51   seu positis armis tranquilla pace quierat,  
 52                   amore sancto percitus  
 53   aeterni regis laudes, et maxima facta  
 54                   tali canebat carmine.

## LIBER OCTAVUS

## Carmina Sacrorum

## AD MARGARITAM HENRICI GALLORUM REGIS SOROREM

C8\_1   v.1   Pudica virgo, regiae  
           2   stirpis propago nobilis,  
           3   ornata sanctis moribus,  
           4   et litteris et ingeni  
           5   decore fulgens, scripsimus  
           6   haec, insideret aridis  
           7   cum longa febris artubus ;  
           8   iis addituri plurima,  
           9   ni mens gravata corporis  
 10   laboribus languesceret.  
 11   Sed tu, puella candida,  
 12   caelestis ardens ignibus  
 13   amoris, ut mens augurat,  
 14   libentius hunc perleges  
 15   parvum libellum, sed pium,  
 16   quam prisca vatam carmina

17       nugis referta inanibus.

PRECATIO MATUTINA

C8\_2     v.1     Jam noctis umbras Lucifer  
           2     almae diei nuntius  
           3     terra poloque dimovet,  
           4     simulque nos cubilibus  
           5     monet relictis, pectore  
           6     preces ab imo fundere  
           7     ad templa summa caelitem.  
           8     Oremus ergo supplices  
           9     fontem perennem luminum,  
 10       10     ut sicut omnes aeris  
 11       11     illustrat oras, vivo  
 12       12     sic nostra corda repleat  
 13       13     fulgore Sancti Spiritus,  
 14       14     qui nos per haec contagia  
 15       15     puros ab omni crimine  
 16       16     traducat ad caelestium  
 17       17     sedes beatas. Illius  
 18       18     nutu gerantur omnia,  
 19       19     cibumque sive sumimus,  
 20       20     seu quid negotii foris  
 21       21     tractamus, aut domi, intima  
 22       22     seu mente quid revolvimus,  
 23       23     id omne semper gloriam  
 24       24     spectet beati Numinis.  
 25       25     Rector supreme caelitem,  
 26       26     quae mente tota poscimus,  
 27       27     haec omnibus concedito  
 28       28     qui corde puro te colunt,  
 29       29     et unicum Natum tuum,  
 30       30     cum sempiterno Spiritu.

PRECATIO MERIDIANA

C8\_3     v.1     Jam Sol citato sidere  
           2     suprema caeli culmina  
           3     percurrit ; alma fervidis  
           4     tellus calescit ignibus :  
           5     at tu beato lumine  
           6     accende corda frigida,  
           7     Pater benigne, et omnibus  
           8     tantos piorum sensibus  
           9     ignes amoris excita,  
 10       10     ut quidquid orbis continet,  
 11       11     prae te sit illis sordidum ;  
 12       12     nec ulla vis hunc fervidum  
 13       13     amoris aestum temperet ;  
 14       14     sed usque crescens omnia  
 15       15     convexa caeli transvolet,  
 16       16     summoque Patri vinculo

17 nos jungat insolubili.  
 18 Has nos ab imo pectore  
 19 preces mittimus  
 20 tuas ad aures, maxime  
 21 terrae polique conditor.  
 22 Tu vota nostra numine  
 23 dextro secunda, idque ad tuam  
 24 concede nobis gloriam.

PRECATIO VESPERTINA

C8\_4 v.1 Jam Vesper ortus incipit  
 2 diem tenebris condere :  
 3 at nos parentem luminis  
 4 sancti precemur, ne sinat  
 5 noctem suorum mentibus  
 6 caliginosam irrepere ;  
 7 seu dulcis alma recreat  
 8 sopor quiete languida,  
 9 seu linquit ille lumina,  
 10 numquam recedat a piis  
 11 lux sempiterna cordibus ;  
 12 ut semper in dies magis  
 13 magisque detur maximi  
 14 benignitatem Numinis  
 15 videre mente lucida,  
 16 et hinc amoris optimi  
 17 ardere semper ignibus.  
 18 Supreme caelitem Pater,  
 19 votis tuorum supplicum  
 20 aures benignas admove,  
 21 ut sensa cordis omnia,  
 22 et dicta factaque ad tuam  
 23 sic dirigamus gloriam.

OPEM CHRISTI IN MAGNA ANIMI AEGRITUDINE CONSTITUTUS IMPLORAT

C8\_5 v.1 Jesu benigne, fervidas  
 2 preces, et mea  
 3 ne, quaeso, vota despice.  
 4 Ut terra Solis ignibus  
 5 hiulca, sic animus meus  
 6 afflictus, aeger, aridus  
 7 dulcissimum rorem tuum  
 8 exspectat. O salus mea,  
 9 refrigera mentem meam :  
 10 metus, dolores, lacrimas  
 11 muta perenni gaudio ;  
 12 ut hae querelae flebiles  
 13 mutantur in laudes tuas,  
 14 et vox agendis gratiis  
 15 noctes diesque personet.  
 16 Ne, quaeso, more judicis  
 17 quid egerim, quid dixerim,

18 quid cogitarim, pondera ;  
 19 peccata sed mea omnia  
 20 tuo cruore deleas.  
 21 Me vulnerum sanet dolor  
 22 tuorum ; amara mors tua  
 23 cordi meo dulcedinem  
 24 instillet, ut meam crucem  
 25 et fortis, et libens feram.

QUAM SINT BEATI QUI SUMTA SUA CRUCE CHRISTUM SEQUUNTUR

C8\_6 v.1 Beatus ille qui suam  
 2 tollit crucem quotidie,  
 3 magnisque Jesum passibus  
 4 sectatur ! Illum maximus  
 5 caelestium Pater sibi  
 6 adoptat ultro filium,  
 7 eique donat Spiritum  
 8 peccata delentem omnia,  
 9 hereditatis inclytae  
 10 pignus beatum. Is intimo  
 11 in corde miros excitat  
 12 Patris amores optimi :  
 13 hinc ille temnens omnia  
 14 quaecumque tellus, et maris  
 15 arena dives continet,  
 16 laetatur unico Deo :  
 17 hunc spem, salutem, gloriam  
 18 suam, suumque gaudium,  
 19 Patrem, magistrum nominat ;  
 20 latusque semper dexterum  
 21 sibi tegentem conspicit,  
 22 per hujus ut vitae vias  
 23 formidolosas ambulet  
 24 securus, et cari Patris  
 25 benignitatem sentiat.  
 26 Ergo nec illum territat  
 27 humana vis, nec inferum  
 28 furor tremendus maximis  
 29 periculorum casibus,  
 30 ut dura rupes turgidi  
 31 tunsae procellis Hadriae,  
 32 immobilis semper manet :  
 33 nec cessat ullo tempore  
 34 hostes, amicos, patriam  
 35 juvare, negligens sui.  
 36 Sic ille vitam caelitum  
 37 colens, perenni gaudio  
 38 triumphat. Impius, licet  
 39 terrae marisque sit potens,  
 40 pulchrumque nomen occupet  
 41 felicis, est semper miser.

## COMPARAT ANIMUM SUUM FLORI

C8\_7 v.1 Ut flos tenellus in sinu  
 2 telluris almae lucidam  
 3 formosus explicat comam,  
 4 si ros, et imber educat  
 5 illum ; tenella mens mea  
 6 sic floret, almi Spiritus  
 7 dum rore dulci pascitur.  
 8 Hoc illa si caret, statim  
 9 languescit ; ut flos arida  
 10 tellure natus, eum nisi  
 11 et ros, et imber educat.

EOS TANTUM BEATOS ESSE AFFIRMAT  
 QUI CETERIS OMNIBUS RELICTIS CHRISTO ADHAERENT

C8\_8 v.1 Quousque vana somnia,  
 2 falsasque rerum imagines,  
 3 o caeci, amare pergitis ?  
 4 Non forma vincens Nirea,  
 5 non dives usus purpurae,  
 6 non mens peragrans sidera,  
 7 camposque latos aeris,  
 8 marisque, terrasque infimas,  
 9 reddunt beatos. Unica  
 10 felicitatis est via  
 11 Jesus, benignus omnium  
 12 dator bonorum. Currite  
 13 omnes ad illum, currite  
 14 fidenter. Ille deserens  
 15 amore nostri caelitum  
 16 sedes beatas, pertulit  
 17 famem, sitimque, et vulnera,  
 18 mortemque diram. Neminem  
 19 fastidit ille : perditos,  
 20 aegros, malorum pondere  
 21 pressos juvare diligit.  
 22 Non sic et optimum et unicum  
 23 amant parentes filium,  
 24 ut ille nos. O centies  
 25 beatus ille, maxime  
 26 Jesu, relictis omnibus,  
 27 qui mente tota se tibi  
 28 in servitutem dedicat !

## PRAEDICAT BENEFICIA A CHRISTO IN SE, ET CETEROS MORTALES COLLATA

C8\_9 v.1 Jesu beate, Numinis  
 2 aeterna proles maximi,  
 3 quibus tuam clementiam  
 4 efferre possim laudibus ?  
 5 Tu pulchra linguens sidera

6       formata dextera tua,  
 7       mortale corpus induis,  
 8       ut ipse terram deserens  
 9       Suprema caeli culmina  
 10       conscendam. Acerba vulnera,  
 11       Crucisque dira sustines  
 12       tormenta, ut ipse callidi  
 13       serpentis ore saucius,  
 14       mortisque certus, gaudeam  
 15       vita potitus caelitem,  
 16       tuoque factus munere  
 17       tuus coheres. Fac, precor,  
 18       Jesu benigne, cogitem  
 19       haec semper, ut semper tibi  
 20       summoque Patri gratias  
 21       agam, pieque vos colam,  
 22       totaque mente diligam.

QUID SERVANDUM SIT AMATORIBUS CHRISTI

C8\_10 v.1       Quicumque Jesum diligit,  
 2       humana discat omnia  
 3       nil aestimare. Diligens  
 4       opes, honores, gloriam,  
 5       amare Jesum puriter  
 6       nequit. Relinque cetera,  
 7       unumque Jesum posside ;  
 8       nam quidquid est usquam boni,  
 9       sic possidebis : lacrimas,  
 10       metus, dolores pectore  
 11       tuo fugabit. Dulcia  
 12       semper morantur gaudia,  
 13       ubi moratur candidus  
 14       Jesus ; voluptas unica  
 15       est ille amantium sui.  
 16       Quin mater et pater tuus  
 17       Te derelinquent ; optimus  
 18       a dextera numquam tua  
 19       Jesus recedet, omnium  
 20       fidus comes discriminum ;  
 21       et cum suprema venerit  
 22       tibi dies, te transferet  
 23       in sancta regna caelitem,  
 24       fruaris ut vita simul  
 25       et sempiterno gaudio.

EXPRIMIT ARDOREM AMORIS SUI ERGA CHRISTUM

C8\_11 v.1       Te, sancte Jesu, mens mea  
 2       amoris icta vulnere  
 3       suspirat. O salus mea,  
 4       me solve tandem vinculis  
 5       istis, ut evolem tuam  
 6       beatus ad praesentiam.



7 Fac interim magis magis  
 8 amore totus ardeam ;  
 9 ut pura mens a corporis  
 10 contagione, amplexibus  
 11 evadat aptior tuis.  
 12 Tu spes, voluptas, unicum  
 13 cordis mei sis gaudium.  
 14 Benigne Jesu, da, precor,  
 15 humana cuncta spernere  
 16 te propter ; omnia fac mihi  
 17 te praeter unum sordeant.  
 18 Seu pulcher oras aetheris  
 19 sol lustrat almo lumine,  
 20 seu nox benigno languida  
 21 rigat sopore corpora,  
 22 domi, forisque mens mea  
 23 Te quaerat, invocet, canat,  
 24 solumque felix in tuo  
 25 dulci acquiescat nomine.

HYMNUS IN CHRISTUM

C8\_12 v.1 Jesum pudicae virgines,  
 2 Jesum juvenus integra,  
 3 Jesum viri, senes, anus  
 4 cantemus, in cujus fide  
 5 laetamur esse, patrio  
 6 qui nos amore diligit  
 7 fovetque. Summi Numinis  
 8 aeterne Fili, siderum,  
 9 terrae, marisque conditor,  
 10 nil vasta caeli immensitas,  
 11 nil magnus orbis continet,  
 12 non dextera factum tua.  
 13 Tu Patris in sinu sedens,  
 14 alis, gubernas omnia ;  
 15 tu caritate maxima  
 16 nostrae misertus miseriae,  
 17 mortale corpus induis,  
 18 diraeque affixus cruci,  
 19 nos morte vindicas tua  
 20 a sempiternis ignibus :  
 21 tu morte victa regiam  
 22 reversus ad tuam, simul  
 23 tui colentes aurea  
 24 in parte caeli collocas.  
 25 Te coetus omnis caelitem  
 26 noctes diesque concinit :  
 27 Te sempiternus Spiritus  
 28 salutis auctorem unicum  
 29 testatur esse : tu quies,  
 30 lumen, voluptas mentium,  
 31 Tu pastor, agnus omnia  
 32 peccata tollens, Pontifex  
 33 aeternus iram maximi

34 sedare praesens Numinis.  
 35 Clemens, suavis, optime  
 36 Jesu, tuorum prospera  
 37 cursum benignus, ut soles,  
 38 piasque laudes suscipe,  
 39 quas ore puro fundimus.

CHRISTUM INVOCAT MAGNITUDE MORBI SE IAM OPPRIMI SENTIENS

C8\_13 v.1 Jam quinta Lunae cornua  
 2 se luce complent, horrida  
 3 cum febre membra tabida  
 4 depascor, ossa frigore  
 5 tremor furente concutit,  
 6 dein aestus acer intimas  
 7 urit medullas, ut faces  
 8 absumit ignis aridas.  
 9 Jam corpus amisi, mei  
 10 vix umbra jam superat. Levis  
 11 ut flos gravatus imbribus  
 12 caput tenellum dejicit ;  
 13 sic mens misella perdita  
 14 cedit malorum ponderi.  
 15 Jesu benigne, respice  
 16 meos labores, dextera  
 17 tua cadentem subleva.  
 18 Non illud ipse jam precor  
 19 meo recedat corpore  
 20 haec pestis ; unum id omnibus  
 21 votis requiro, et obsecro,  
 22 ut robur, et constantiam  
 23 mihi ministres ; languidos  
 24 artus, medullas, omnia  
 25 hic ignis ossa devoret,  
 26 dum mens refecta vivida,  
 27 tuoque fortis Spiritu  
 28 resistat, et semper tibi  
 29 jucunda laudes concinat.  
 30 Jesu benignus, optimus,  
 31 horrenda passus vulnera,  
 32 dolentibus succurrere  
 33 est promptus. Aegrimoniam,  
 34 metus, querelas abjice  
 35 fidenter, o anima mea :  
 36 quiesce, nomen invoca  
 37 dulcissimum regis tui ;  
 38 est ille munitissima  
 39 arx invocantibus eum.

DOLET SE IAM SENEM FIERI,  
 NEQUE TAMEN ADHUC COEPISSE DEO EX ANIMO SERVIRE

C8\_14 v.1 Eheu senecta crinibus  
 2 jam sparsa canet, labitur

3 aetas, ut unda fluminis,  
 4 auremque vellens pallida  
 5 Mors admonet : miser, ah miser,  
 6 quousque pergis somnia,  
 7 umbrasque vanas persequi ?  
 8 Jam jam supremi judicis  
 9 tribunal ad justissimum  
 10 sistere, cordis intima  
 11 qui sensa, qui dicta omnium,  
 12 qui facta novit omnia.  
 13 Haec vera certa judicat  
 14 mens, et relictis omnibus  
 15 summo beato Numini  
 16 servire totis viribus  
 17 exoptat, ardet, nititur ;  
 18 sed heu misella sordidae  
 19 affixa terrae, inaniter  
 20 laborat. Eia age subveni,  
 21 Jesu benigne, subveni,  
 22 tuamque dextram porrige.  
 23 Tu morte mortuum tua  
 24 olim evocasti ex inferis :  
 25 nunc vita me vivum tua  
 26 perire ne rursus sinat.  
 27 Humana fac spernam omnia,  
 28 nudumque te nudus sequar,  
 29 et ponderosi corporis  
 30 me solve tandem nexibus ;  
 31 ut pura mens et integra  
 32 aevo potita caelitem,  
 33 te, sancte, et optimum Patrem,  
 34 et sempiternum Spiritum  
 35 laudare numquam desinat.  
 36 Jesus suorum supplicum  
 37 tutela, portus, gaudium,  
 38 quae mente tota deprecor,  
 39 concedat : ipse gratias  
 40 agam benigno Numini,  
 41 ejusque laudes pectore  
 42 laetante semper concinam.

QUAM SIT DULCIS ET SALUTARIS VULNERUM  
 ET TORMENTORUM CHRISTI ASSIDUA MEDITATIO

C8\_15 v.1 Jesu, tuorum vulnerum  
 2 cruore sancto pascere  
 3 me, quaeso, numquam desinas.  
 4 Me sanguis iste roborat,  
 5 dulcique replet gaudio.  
 6 Hoc est amoris poculum  
 7 caelestis, omnes sordidos  
 8 pellens amores : ebria  
 9 hac potione mens, sui,  
 10 et omnium fit immemor  
 11 quaecumque mundus continet ;

12 Deumque solum cogitat,  
 13 tuumque amorem. Fervide,  
 14 immense, nulli effabilis  
 15 amor, beatis sedibus  
 16 tu maximi Natum Dei  
 17 deducis, ipsique induis  
 18 mortale corpus ; asperam  
 19 dein tollis illud in crucem.  
 20 Amabilis, dulcissime  
 21 amor, meis in sensibus  
 22 tantas amoris excita  
 23 flammis, ut ustis nexibus  
 24 his ponderosi corporis,  
 25 alis tuis ad optimum  
 26 Jesum beatus advolem.

ORAT UT CHRISTI BENIGNITATE SIBI LICEAT PIE SANCTEQUE VITAM AGERE

C8\_16 v.1 Tutela praesens omnium  
 2 qui mente pura te colunt,  
 3 da, quaeso, nil ut cogitem,  
 4 agam, loquar quod Numini  
 5 tuo placere non queat :  
 6 comis, benignus in bonos  
 7 malosque sim, ne degener  
 8 sim natus optimi Patris ;  
 9 qui Solis almo lumine  
 10 illustrat omnes, omnibus  
 11 potum cibumque sufficit.  
 12 Legum tuarum per vias  
 13 me continenter dirige,  
 14 bonique quidquid egero,  
 15 id esse totum muneris  
 16 tui sciamque et praedicem.  
 17 Seu febris artus pascitur,  
 18 seu miles urit impius  
 19 domum paternam, dicere  
 20 laudes tibi ne desinam ;  
 21 sed cuncta Numinis tui  
 22 nutu regi nil ambigens,  
 23 vivam quietus. Filios  
 24 Dei secunda et aspera  
 25 juvent oportet. Gloriam  
 26 tuam Patrisque maximi  
 27 meae saluti praeferam ;  
 28 nec ulla res optatior  
 29 queat mihi contingere,  
 30 quam contumelias pati  
 31 te propter. Ipsa carior  
 32 sit luce mors, ut corpore  
 33 exutus ad tui volem  
 34 regni beata gaudia.

GRATIAS AGIT CHRISTO CUIUS BENEFICIO E MAXIMIS PERICULIS SIT EREPTUS,  
ET AD VIAM SALUTIS REVOCATUS

C8\_17 v.1 O lux beata caelitem,  
2 mortalium fidissima  
3 tutela, quas agam tibi,  
4 Jesu benigne, gratias ?  
5 Ut olim aberrans aggere  
6 ovis misella, saltibus  
7 formidolosis delitet,  
8 voranda mox rapacibus  
9 feris ; miserrimus omnium  
10 sic ipse per mala omnia  
11 caecus ruebam ; candida  
12 cum lux beati Spiritus  
13 tui refulsit, et viam  
14 quae ducit ad feliciam  
15 aeterna regna caelitem  
16 monstravit. Ista lux meae  
17 mentis tenebras dispulit :  
18 cordi meo dulcissimi  
19 faces amoris ista lux  
20 infixit. Illo ex tempore  
21 te, sancte, totus ardeo,  
22 te quaero amore saucius :  
23 videre vultum candidum,  
24 tuis frui complexibus  
25 mens ardet ; ipsa jam nihil,  
26 te praeter unum, cogitat.  
27 Non sic decentem virginem  
28 furens amator deperit ;  
29 non sic tenellum filium  
30 parens uterque diligit.  
31 Amoris aestu liquitur  
32 cor molle, ut olim fervidis  
33 percussa cera solibus.  
34 O flamma mentem frigerans,  
35 omnesque labes excoquens,  
36 me semper in dies magis  
37 incende, perge adurere,  
38 consume, totum verteris  
39 me donec in faces tuas.

QUERITUR MAGNAM HOMINUM PARTEM RELICTO CHRISTO REBUS INANIBUS STUDERE

C8\_18 v.1 Jesu beate, si tuo  
2 amore sancto perfrui  
3 quam dulce sit cognoscerent  
4 qui res inanes diligunt,  
5 o quam suae dementiae  
6 taederet ipsos ! Vulnera  
7 acerba corporis tui  
8 tanta fluunt dulcedine,  
9 ut quisquis illa suxerit,

10 opes, honores, omnia  
 11 amata jam fastidiat,  
 12 Deique sola gloria  
 13 laetetur oblitus sui.  
 14 Sed caeca gens his fontibus  
 15 praefert lacunas putidas  
 16 et pestilentes. Gratia  
 17 magna tibi, Jesu maxime,  
 18 qui me tuo purissimo  
 19 lavas, alisque sanguine.

PRAEDICAT SE SINE TUTELA CHRISTI IN MALA OMNIA PRAECIPITEM RUERE

C8\_19 v.1 Te, sancte Jesu, supplici  
 2 adoro corde, cor tibi  
 3 meamque mentem dedico.  
 4 Ut bimulus puer, sua  
 5 custode si caret, sibi  
 6 magna creat pericula ;  
 7 sic ipse, si desit tui  
 8 tutela praesens Spiritus,  
 9 in cuncta praecipitem mala.  
 10 Dulcis, benigne Spiritus,  
 11 me, quaeso, totum posside,  
 12 tuaque flamma incendito  
 13 amore cor ; illumina  
 14 mentis tenebras ; excoque  
 15 quodcumque inhaeret noxii.  
 16 Fac, semper in te gaudeam ;  
 17 opes, honores sordeant ;  
 18 Summique Patris gloria  
 19 sit luce carior mihi.  
 20 Seu pascit hortus lumina  
 21 florum colore gemmeo,  
 22 seu fons susurrans vitreis  
 23 delectat undis, illico  
 24 vox surgat in laudes Dei.  
 25 Sol, Luna, fulgor siderum,  
 26 lapsus perennes amnium,  
 27 formosa silva, frugibus  
 28 ager redundans, omnia  
 29 quaecumque cerno, maximam  
 30 Sancti beati Numinis  
 31 benignitatem cernere,  
 32 manuque tractare faciant.  
 33 Hinc ipse discam comiter  
 34 omnes juvare, nemini  
 35 nocere ; purus, integer,  
 36 Deoque carus exigam  
 37 quod restat aevi ; transvolans  
 38 dein summa caeli sidera  
 39 fruar perenni gaudio.

## DE ARDENTI AMORE SUO ERGA CHRISTUM

C8\_20 v.1 Amore totus languedo,  
 2 nec ulla jam datur quies.  
 3 Jesu benigne, jam meam  
 4 solare mentem, candidos  
 5 ostende vultus, lumine  
 6 tuo beata lumina  
 7 fac mea, nec osculum, precor,  
 8 amans amanti denega.  
 9 Tu sponsus es animae meae ;  
 10 te quaerit illa lacrimis,  
 11 te continenter invocat :  
 12 Tu, sancte, mortis e manu  
 13 tuo redemptam sanguine,  
 14 tuique amore sauciam,  
 15 odisse certe non potes.  
 16 Ergo misella cur tuae  
 17 dulcedinem praesentiae  
 18 non sentit ? Ah cur supplices  
 19 venti querelas dissipant ?  
 20 Sed tu licebit anxio  
 21 amantem amore torqueas,  
 22 non illa amare desinit.  
 23 Jesu, tui tabescere  
 24 amore res dulcissima est.

COMMENDAT ANIMUM SUUM DEO MAGNITUDINEM ORBI  
IN EXTREMUM VITAE PERICULUM ADDUCTUS

C8\_21 v.1 Rector beate caelitem,  
 2 qui sic amas mortalium  
 3 salutem, ut almi filii  
 4 cruore sancto laveris  
 5 peccata eorum ; suscipe  
 6 servi precantis spiritum,  
 7 qui fretus unica tua  
 8 benignitate languidos  
 9 artus libenter deserit,  
 10 ut alta caeli sidera  
 11 petens fruatur, optime  
 12 Pater, tua praesentia,  
 13 et sempiterno gaudio.

## AD CHRISTUM

C8\_22 v.1 Alme puer, sanctis quem Virgo amplectitur ulnis,  
 2 Virgo caelesti Numine facta parens.  
 3 Cernis, ut exiles febris mihi pascitur artus ?  
 4 Cernis, quam saevus concutit ossa tremor ?  
 5 Quem sequitur miseras exurens flamma medullas,  
 6 urit ut arentes lucida pruna faces.  
 7 Tu puer, aeternus cui dat Pater omnia posse,

8           tutela humani, sancte puer, generis ;  
 9           si labefacta gravi sub pondere tota recumbit  
 10          in te uno famuli spesque salusque tui,  
 11          aut morbum pelle, aut vires mihi suffice, tanta  
 12          queis possim laeto pectore ferre mala.

## LIBER NONUS

## AD GUIDUM POSTHUMUM

C9\_1    v.1    Heu quantis hominum macerat ignibus  
           2            mentes, Posthume, candidum  
           3            formosae nimium pectus Ianthidis.  
           4            urit, sive oculos movet  
           5            splendentes Paphio sidere pulchrius,  
           6            seu fulva gracilis coma  
           7            incedit superi conjugio Jovis  
           8            digna, aut Pierium lyrae  
           9            si plectro tetigit carmen eburneo.  
 10          Tu felix ter, et amplius,  
 11          nec certe superis inferior Deis,  
 12          quem virgo face mutua  
 13          torret, cuique magis dulcia nectare  
 14          jungit molliter oscula.  
 15          Non ipse Alcinoi muneribus potens,  
 16          aut gazis Arabum invides,  
 17          nec voto segetes insatiabili  
 18          fecundae petis Africae,  
 19          contentus teneris nunc satis ac super  
 20          pulchrae virginis ignibus.  
 21          Sed quantis Superum Numina fletibus  
 22          urgebis, quoties fidem  
 23          mutatam, simul et blanditiis dolos  
 24          lamentaberis illitos,  
 25          qui nunc conspicuo sidera vertice  
 26          tangis, heu nimis immemor  
 27          quam Fortuna rota saepe volubili  
 28          alternas variet vices.  
 29          Est scisso levior cortice femina, et  
 30          irato improbior mari,  
 31          quam nec blanditiis, nec gemitu minis  
 32          asperso, neque sanguine  
 33          iratam proprio concilies tibi  
 34          mentem flectere nesciam.  
 35          Olim me facilis purpureae Venus



36 ardebat Cynarae, et simul  
 37 ambos compedibus junxerat aeneis,  
 38 aspirans Veneris puer.  
 39 Nunc versis animi conditionibus  
 40 haec me viso abit, ut levem  
 41 auriti fugiunt si lepores canem,  
 42 acri saevior Hadria.

## AD CORNELIUM BALBUM

C9\_2 v.1 Frustra, Balbe, quid angimur,  
 2 frustra solliciti, quid Superos prece  
 3 delassamus inutili ?  
 4 An nos terribili bellua centiceps  
 5 latratu, an Tityi jecur  
 6 exterret lacerum, aut atra novemplici  
 7 Styx infusa vado, et bonis  
 8 quae jactat puerisque, et mulierculis  
 9 scandens pulpita lignipes ?  
 10 Quod tu Flaminium si satis audias,  
 11 indulgens genio, et choris  
 12 Musarum, teneris non sine amoribus,  
 13 omnem tristitiam, et metus  
 14 committes zephyris in mare Caspium  
 15 deportare fugacibus.  
 16 Nam si idem fuerit spiritus omnium (ut  
 17 magnus sentit Averoes),  
 18 ride, quid dubitas ? Omnia fabulae.

## AD LYGDAM

C9\_3 v.1 Unde hic tam gravis incidit  
 2 cordi error ? Fera quid tam male perdidit  
 3 mentem rusticitas tuam ?  
 4 Ut me nec lacrimis victave mollibus  
 5 ursinae illecebris, tuo  
 6 saltem colloquio admittere, perfida,  
 7 digneris ? Satis ac super  
 8 saevitum in miseri fata ; quid amplius  
 9 pallentem facibus novis  
 10 umbram persequeris ? Quid nova tendere  
 11 quaeris retia ? Num parum,  
 12 quaeso, saevitiae, Lygda, tuae datum est,  
 13 tantis immeritum caput  
 14 demersisse malis ? Quin etiam tua,  
 15 eheu, verba mihi negas,  
 16 quae me vel Stygiis naufragum aquis valent  
 17 luci reddere pristinae ?  
 18 O tandem melior supplicibus fave, et  
 19 si quicquam merui, tibi  
 20 si quando placuit servitium meum,  
 21 istam pone superbiam.  
 22 Quod si nec lacrimis tangeris, aut prece,  
 23 si nec te illecebrae movent,

24 quis vel semiferi quaeque nurus Scythae ac  
 25 duri filia Concani  
 26 cedat, saltem, animo si metus est Deum,  
 27 ultricem Nemesim time,  
 28 quae factura brevi est, ut meritas tuae  
 29 poenas saevitiae luas,  
 30 ni fastu reperis dura modum tuo.

## AD SEPTIMILLAM

- C9\_4 v.1 Amabo, mea cara Septimilla ;  
 2 ubi blanditiae, libidinesque,  
 3 quas in me facere antea solebas ?  
 4 Cum me delicias tuas, tuamque  
 5 spem, et solatiolum tuum vocabas,  
 6 adjurans nihil esse in orbe toto  
 7 me venustius, elegantiusve.  
 8 En nunc Flaminius tuus redivit  
 9 Urbinum, mea cara Septimilla,  
 10 secum millia multa basiorum,  
 11 secum illum quoque passerem elegantem  
 12 ferens, quem in manibus tuis tenere,  
 13 qui cum ludere saepe gestiebas.  
 14 Dic mi blanditias, libidinesque  
 15 in me fac, mea vita Septimilla,  
 16 nam te plus oculis meis amavi  
 17 semper, assidueque amare pergam,  
 18 donec mors tenebris operta nostrum  
 19 funesto caput ore devorabit.
- C9\_5 v.1 Abibo, silvae, nam Gibertus accivit,  
 2 carissimae silvae mihi ; tamen verum  
 3 fatebimur, multo ille carior nobis.  
 4 Quod si Giberto in hac recondita valle,  
 5 saltuque vestro nos Dei frui vellent,  
 6 si nunc legendo, nunc jocando securam  
 7 quiete vitam degeremus in dulci,  
 8 oh quid hilarius, quid beatius nobis ?  
 9 Sed hunc tenet, tenuitque semper invitum  
 10 orbis regendi cura, maximi patris  
 11 amor, bonorum supplices preces. At mi  
 12 tam longe abesse, tam diu nefas : quare  
 13 valete silvae, jam valete convalles.
- C9\_6 v.1 Turri candide, Turri amice, tandem  
 2 ad te Flaminius redit, nec umquam  
 3 a te, si superi favent, recedet.  
 4 Ille Flaminius suis ocellis  
 5 qui te plus amat, ille cui videtur  
 6 nil amabile, cui nihil venustum,  
 7 hic tecum loquitur simulque vivit :

8        ecquid sanctius elegante amico ?  
9        Cum post tempora longa, post labores  
10       viarum varios domum reversi  
11       illum amplectimur atque suaviamur,  
12       et dulci dabit allocutione  
13       dies ducere candidasque noctes.  
14       Haec est vita beata. Non honores,  
15       non aurum mihi posco ; nil moramur  
16       quod vulgus colit : est satis superque  
17       si mihi superi annuant benigni  
18       vitam degere cum meo sodali.



**Sebastiano del Piombo**

Portrait présumé

de

Marco Antonio FLAMINIO